VIRO VERE ERUDITISSIMO

Singulíſque Pietatis, Prudentiæ & fortitudinis dotibus

ORNATISSIMO

Edoardo VVhalæo,

Armigero Prænobili, &c.

Nec non Exercituum Angliæ & Scotiæ,

MAJORI-GENERALI vigilantiſsimo:

F: F: *Hoc Obſervantiæ ergô, &c.*

VIRO VERE ERUDITISSIMO

Singulíſque Pietatis, Prudentiæ & fortitudinis dotibus

ORNATISSIMO

Edoardo VVhalæo,

Armigero Prænobili, &c.

Nec non Exercituum Angliæ & Scotiæ,

MAJORI-GENERALI vigilantiſsimo:

F: F: *Hoc Obſervantiæ ergô, &c.*



Ana-{*Olivarus Cromelus*,}-gramma.
{*Laurûs Oliva comes.*}

Insignium fusior Explicatio.

Fronte Leo; geminusq; *Leo* stat *Pone*; sequuntur
Fulcra domus; *Cuspis* Terribilisq; *Triplex*.
Irides inde vigent *Fulcri* à discrimine: *Coni*
Fronte LEO Hastarum *Relliquias*q; gerit.
Tum *Laurus*, Laurûsq; Comes Pacalis *Oliva*,
Supponunt *Scuto* Serta decora Tuo.
Stemmate ut in *Proprio* tranquilli *Principis*, æquè,
Et *Ducis*, alterutras intueare Vices.

Vide Pag. 91.

INAUGURATIO

OLIVARIANA,

SIVE PRO

PRÆFECTURA Sereniſſimi PRINCIPIS

ANGLIÆ, SCOTIÆ, & HIBERNIÆ,

DOM.

Protectoris

OLIVARI:

CARMEN VOTIVUM.

———*Non ultima Laus eſt*
Principibus placuiſſe.———

LONDINI,

Typis NEWCOMBIANIS;

Anno { *Noſtræ* SALUTIS } -M.DC.LIV.
{ *Olivari Protectoris* } -PRIMO.

AD

OLIVARUM

Sereniſsimum *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ*,

PROTECTOREM,

Heroico *Fiſheri* Carmine fæliciter adumbratum.

SUrge Anglis Olivare Potens; Cui dives *Iernæ*
Paret, & attonitis *Scotia* tota Jugis.
Fadere nam primos Sociâſti; *Fulmine* Hybernos
Straviſti, & *Scotici* monſtra *Maligna* Soli.
Te *Lyra* Conticuit viſo, *Te Carduus* Ille
Torpuit, & ſparſis *ſpina* ſuperba Comis
Quid *Meleager* Aprum jactat? nempe Ille *Leonem*
Magnanimum, & *multos* Enſe ſubegit *Apros*.
Tabellæ taceant Veteres, validiq; labores
Herculis, & tanti tradita Geſta viri.
Alcydes venit ecce novus, venit alter *Achilles*
Munimen *Belli* Præſidiumque *Togæ*.
Sed quo Corripior demens, dum Carmine Curto
Et tenui Conor tanta referre Chely?
Hæc tibi *Fiſherus* Cecinit, gravidoque Cothurno
Extruxit Famæ tot *Monumenta* Tuæ.
Optime *Mecænas*, tantó ter digne *Marone*!
Digna *Sophoclæo* ſunt tua *Geſta* ſtilo.
Perge Olivare Pater Clarum redamare *Poetam*,
Aurea da *Chartis* Munera, *Serta Comis*.
Sic tua Bella Canet; Sic te *venerabitur* orbis
Ultimus, & magno *Cæſare*, Major, Eris

Sic Vaticinatur & apprecatur

veſtræ Celſitudini

devotiſſimus

a THO: BAYLES.

IN SERENISSIMI

OLIVARII

D. PROTECTORIS

Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, &c.

Fæliciſſ. INAUGURATIONEM

A

Fitz Pagano Piſcatore

Heroicè decantatam.

NIL opus eſt veteris monumenta revolvere Famæ,
Nec celebrare tuos, Martia *Roma*, duces:
Nec quos Illuſtri numeravit *Græcia* partu,
Nec quos *Barbaries*, ſed generoſa, tulit.
Ecce! novum noſtris effulgens Sidus in oris
Colligit in radios lumina cuncta ſuos,
Atq; omne egregiis factis complectitur ævum,
Orbemq; in patria, ſub ditione tenet.
Scilicet in mediis Patriæ JURA aſſerit *Armis*,
Et nolit *Victor* conditione frui,
Ille ſui Victor, cùm labaſcente Senatu,
Ille ſatis firmæ munia *Pacis* obit.
Et quos *Bella* ferunt compeſcit *Pace* tumultus,
Non cinctus ſignis, ſed pietate, ſuis,
Ille tuâ fuerat celebrandus jure *Camœna*
Cui tantum genii Muſa Latina dedit:
Ille eſt; centenâ quantumvis *Pallade* ſcribas,
Fruſtra eſt; materies exuperabit opus.
Ille ſuos habeat (fælix neget ipſe) triumphos,
Et verſu videat ſecla futura tuo.
Non tamen hoc minimum; quamvis *numero* omnia cogi
Ipſe DEUS, ſummâ cum ratione, jubet;

Non

Non *populos* numerus cogit, fælicia regna
Semper victrices parturiêre manus.
Cùm frendens animis effervescensq; popellus
Ipse sui rector jam ruiturus erat:
Vix facibus multis vincit nox atra tenebras,
Sole tamen solo splendet amica dies.

Οἷον ἐμοὶ Ἀχιλῆα παλαίτατος εἶπεν Ὅμηρος;
Οἷον Μαιονίδης δεύτατος ἔνθα λέγει;
Ὡς ἐμὲ θάμβος ἔχει! Κακοῖλος ἐνθάδε πολλὴ,
Ἰλιὰς ἔνθα κακῶν, Ἰλιὰς ἔνθεν ἐπέων.
Παμμιγέων μέλπει ἑτεροῦρόπα κύματα λαῶν,
Καί ῥ' ὀπὶ κυδαίνει Ἐννοσίγαιον ὁμῇ.
Ὤμοι! ἐϋκνημῖδας ἐϋκνημῖσι, καὶ Ἀγελοὺς
Ἀγελοῖς εἰς πόλεμον δριμύτατον προφέρει·
Δὴ τότ' ἐϋκνημῖδας ἐϋκνημῖσι, καὶ Ἀγελοὺς
Ἀγελοῖς εἰς φιλίην δεύτερον αὖθις ἄγει.
Πηλείδης ὁ μὲν ἄλλος, ὁ δ' ἄλλος Ὅμηρος ἔγεντο,
Οὐρανίος κεῖνος, καί ῥ' ὅγ' ἐπουρανίος·
Κεῖνος θὴν μελέεσσιν, ὁ δ' ἦφι βίηφιν ἀγαυὸς,
Οὗτος, ἰδ' αὐτὸς, ἀτὰρ παγκρατιαζόμενος.

J. HALL, JC.

Ad Amicum F: F: *in Poema clariſſimum, & veriſſime heroicum, cui Titulus*

OLIVARIANA INAUGURATIO

GRATULATIO.

SIc bene dum famulis Impendas otia Muſis,
Nulla perit ſine luce *Dies*; nec tranſigis annos
Ingrate FISHERE Tuos, dum *Caſtalis* undas
Rurſus adis, pleniſq; bibis *Permeſſida* labris.
Tertius in Lucem nam jam producitur *Hæres*
Ingenii *Soboles*, atque Indolis *Incrementum*:
Cui mox *Sponſores* fidi, de more SOLONES
CONCILII ſublimis erunt, Cuniſq; repentem
Excipient, *rectiſque* dabunt incedere *Plantis*.
Hi Pennas, *Hi* vela dabunt, Quibus, *Ipſe* per ora
Docta voles, longæq; ſtruas fundamina *famæ*.
Euge Poetarum *Princeps*; dum PRINCIPIS ~~actus~~ *actus*
Et PROTECTORIS tot facta Ingentia volvis
Ipſe ſtilo graviore tonas; genióq; *triumphas*
Celſius, à tantis doctus *grandeſcere* Geſtis;
Sic Regem *Æmathium* dignus pinxiſſe peritus
Solus *Apelles* erat. Quis non mirabitur artem
Eloquii *Fitzpayne* Tui! Qui ſic ſine fuco
Pingis OLIVARI Pectus; moréſq; *Modeſtos*,
Victricéſq; *manus*, formidandóſq; *lacertos*.
Perge Ævi *coryphæe* novi, recitare ſubactę
Bella *Caledoniæ*, longóq; *volumine* conde
Quantum Illic PROTECTOR ovans profecerit armis,
Quáq; reluctantes *virtute* repreſſerit hoſtes.

Unde

Unde Tuo ſublata ſtilo, & ſublimibus auſis,
Anglia longinquis ſtet formidabilis *Indis*,
Et pia CROMELICOS veneretur Grata Triumphos
Poſteritas, ſtupeátq; Tuum *Fiſhere* Cothurnum.

R: Gard: *ex hoſp: Medii-Templi*
Juris-Conſultus.

Chariſſimo amico Majori FISHERO *in Carmen*
ELUCUBRATUM.

FEſta canis, *menſam* ſternis, *Bellaria* ponis
Urbs (*Fiſhere*) cibos protulit, Ipſe *ſales*.
Ergò *epulas* condis ſalſo meliore *recentes*,
Fertq; magis lautas *Menſa ſecunda* dapes.
O quàm Te memorem! ſic ſic *pranſiſſe* juvabit;
Ipſe ſtruis *Veneres*, Gratior *hoſpes* eris.

Arma, *Viroſq*; canis, meriti *penſator* honoris,
Articulas Laudes, *Præmia* cuiq; ſua;
Objicis *antiquos* caſus, *actoſq*; labores
Et quę quis *geſſit* prælia, *geſta* videt.
Surget in æternum *Victor* jam *duplice* palmâ
Marmora nempe tuum ſæcula nulla terent.

J: W:

IN
OLIVARIANAM INAUGURATIONEM

A *Fitz-Pagano Piſcatore*

Verſibus Heroicis decantatam.

Ἄγες, Ἄρες, πάλιν ἀ βεσίλοτοχὲ, μιαίφονε, Χαῖρε·
Χαῖρε, πίρ Σκοτίης ἔξοχα, πῶν σκοτίης.
Ἠιρεθ' ὁ μ μέγα νῦδ ἀείσας ὄρχαμον Ἀγλῶν,
Καί ῥ' ὄγ' ἀφδομδ· τὸς ἀπάμοτ' ὀ χάεις.
Ὀσσατίοισι δ' Ἀχὸς φαίδει ἀμαρύγμασι, πάντης
Ἰσοφυὲς σίλζ ἀγλαίῃσι σιλίς:
Ἐκλορ εἶπ πίπνοη, χ οἱ Πιλῆ ἀγαυῇ,
Σίγα, Ἡμίθιοι κάτοι, ὁ δ' Ἠλδις.
Ἀρχόγοι ὀόμοφοι ὅσαν Θερσποΐδες Ἀρη,
Αὐτὸς ὕπαιδα δ' Ἄρης πλδι πίλῃ Θερσπων.

Τὶ δαὶ λίλικαν ὕνδας πὶς χαλκοσόμυ
Καίδυν ἀμφιάχῃ βοή;
Φᾶ! ὄῆ αἰκεῖαμα! διαπρσίη φάτις!
Φᾶ! ὡς ἀκυὴ πίρπτυμα!
Ψιδοχάρυ κήρυκ ἐφδονήσατο
Ἀχλοὶ Μακηδὶν· ἤνδα ᾗ
Ἐπίρδυν κήρυξ, ὀπίφδυν Ταχὸς,
Ἐπίφδυν δ' οἶμι πίλῃ.
Ἐγθ ἀῦ σρυιόξῃς, πλιοδξῃς, πόλεων
Νηλεπτὲς κατασλαφαὶ,
Σπονδαὶ μάχησι χ μάχαι στονδῆς πίκῃ
Ἐερμῦαι χ σωπχτὶς,
Ἐπιρελκὶ ξυνόντα νίκης παῖγνια,
Καὶ ῥεῦμ' ἀναμάλυ πύκης.
Ἐῤῥοι Μιλικλὶς Πυδίων, κακοκλεὶς
Μάρσια ζυγὰ ἀμφίπτοι.
Ἠρω ἀμῦ τὰς ἀειτοίας, κλέα,
Καὶ ἀπαλόοεσις Ἐξκαίνια
Σάλπιγξ Βρεταὶς ἰάχῃ, πάφαλα
Νυκτὸς μελίζυ.
Βαβαί! βαβαὶ Ἐυερμίας! πρακλὴς μίθυ
Ῥηλής τ' ἐπίαν ἰαλυγοι,
Ἄμφω ἀπρίχυσιν· Ἕως δ' ἀνὰς κλύω,
Βλέπω δυοῖν Ἐπίκια.

H: Stubbes *ex Æde Chriſti Oxoni.*

In Auguſtiſſimam

INAUGURATIONEM Dom: *OLIVARI*

Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ,

PROTECTORIS;

A

FITZ-PAGANO FISHERO

Epico Carmine celebratam.

Virtuti famulatur *Honos*, Victricibus *Armis*
Palma triumphalis, facundę *Laurea* Linguę;
Gratia at imprimis ubi prævia, *Gloria* vivax
Sectatur, veluti greſſus levis umbra viriles.
Virtus, Eloquium, Pietas in pectore, ad inſtar
Trinarum *Charitum*, complexo lumine fulgent:
Ergo quæſitos meritis *Tibi* ſumito Faſces
Optatum Auſpiciis *Regimen* fœlicibus orſus,
Pergrati populi ſecurus amore perenni.
Externę Gentes in ſplendida Facta *ſtupeſcant*,
Obſequiiſq; colat te turba vel *invida* pronis;
Ut ſub *Pacifici* veniant Munimine *Sceptri*,
Chriſticolę miro permoti robore Mentis
Heroę, tecum conſpirent *fœdere* firmo,
Sentiat ut properas *Babylon Tarpeia* ruinas,
Ulterius nec *Martis* opus lachrymabile terras
Infeſtet, vacuos vaſtans cultoribus agros,
In ferrum flammáſq; ſuas cum laxet habenas;
Sed pia venturis regnet *Concordia* ſeclis
Relligionis amans, & ſervantiſſima *Legum*,
Quę fovet *ingennas* ſummis reſpectibus *Artes*,

Quæ

Quę *Pandionias* clypeo tutatur *Athenas*
Barbariem pulſans, & *iniquę* dogmata *ſectę*,
Reſtituénſq; *Sacris* decus immortale *Camœnis*;
In quarum numero *Fiſher* celeberrimus extat,
Virtutum cultor *ſupplex* Olivare, tuarum,
Strenuus aſſertor *Famę*, *Vindexq*; *Decoris*,
Spargens ingentem *Maveria Geſta* per orbem;
Cujus *Muſa* Mori Te dignum Laude negavit,
Te præſens *mirata*, ſequens *venerabitur* ætas:
Tunc igitur foveas *Mecœnas* optime Muſis,
Vatem; *Munifico* ſit, fœlix *vena* favore,
Surgat & *auratis* ditata induſtria *donis*.
Vnde *Caledonias* horrentia bella per Oras
Alite ſublimi tollens, *Magnalia Mundo*
Vulget, & innumeris repleat loca cuncta triumphis

J: C:

Ad Eruditiſſimum Anglo-Poëtam Fitz-Paganum Fiſherum *de ſuo Anagrammate*

Olivarus Cromelus,
Laurûs Oliva comes.

Vivat Olivarus Cromelus (ſit tibi *Laurus Pieridum* tu digne *Comes* Piſcator) *Oliva*
Germinet, & Fructus nunc ſit paritura benignos:
Nulla per *Angliacos* hoſtilis buccina campos
Nunc reſonat, magnum Cromelum fulcit *Oliva*,-
-Rus videt *hanc*, viſámq; cupit, potitúrq; cupità.
Maxime, cum *Lauro* volumus, Cromele, vireſcas
Dé jue tuis cupimus *ramis* formare *corollas*.

Jacobus Wolveridgius.

Inauguratio Oliveriana.

CÆli magne SATOR! noſtris allabere Cæptis,
Tu, Qui ſtelliferi *Solium* moliris Olympi,
Terrarúmque vices, & quicquid *Nereus* ambit;
Quique tremendorum (concuſſo Cardine rerum)
Fata redordiris *Regum*, Nativaq; tandem
Nativos ad Sceptra vocas, ut ſentiat orbis
Poſſe Regi validos, *Anglo-Rectore*, Britannos.
Ergo novus ſurgat faſtis fælicibus *Annus*,
Et Genio meliore micet, dum Sydere fauſto
Lætior affulſit noſtris Concordia Terris
Pacatum, ſpondens fatis melioribus, orbem.
Nempe *Caledonii*, maleſidus *Carduus*, Horti,

Qui toties impunè pios vexaverat *Anglos*,
Qui toties impune *Roſas* turbaverat; ecce,
Succutitur! vulſiſq; jacet radicibus, excors.
Ille *Leo* arctois, qui horrendum rugiit oris,
Finitimúmq; ſuo Rugitu terruit orbem;
Excuſſis cervice jubis, preſſóque quievit
Ore, *Leonino* doctus parere CROMELLO.
Ille *Leo* Batavis aſſuetus ſurgere Roſtris
Ungue *ſagittifero*, Qui tanta Pericula Ponto,
Tanta tulit Terris, ſtrato ſuccumbere dorſo,
Atque *Leonino* didicit parere CROMELLO.
O fortunatam, tali de *Principe*, Gentem!
Qui male fraterno gaviſos ſanguine Fratres
Nexuit, & nexos concordi lege ligavit.
(Ille *Senatorum* rixas & jurgia deflens)
Perdite diviſis in mutua viſcera *membris*
Arbiter emicuit; Propria cum ſponte *Senatus*
Obſtreperus ſurgens, *Navim* Rectoris egentem
Liquerat, ambiguis & caligantibus undis,
Ille inſperato *Cynoſura* eluxit olympo,
Ille idem *Palinurus* erat; *Navarchaq*; gnarus
Admiſit vidui, clemens moderamina, clavi.

Dominus enim Protector in inſignibus gentilitiis Leonem geſtat unguibus elatis ſævius inſurgentem, quem *Feciales* noſtri *Rampantem* vocitant.

Sic

Sic *Hyadum* nimbos, & opacæ vellera nubis
Denſa, coruſcanti perrumpit Lumine *Titan*,
Lætàq; *Cimmeriis*, renovat ſpectacula, Terris:
Ille Pater Patriæ, Libertatíſq; Reductor,
Ceu novus *Alcides*, ruituram à Culmine gentem
Suppoſitâ cervice tulit; nec fortius *Atlas*
Stelliferum fulcivit onus; non machina Cæli
Firmine, *Herculeis* ſteterat librata, lacertis.
Talem *Anglus* poſcebat inops; Qui vindice dextra
Aſſereret ſalvum, tuta in ſtatione reponens:
Talem *Templa* Ducem; Talem petiitque Popelli
Sanguine parta ſalus; nequiit ſine Remige tanto
Turbidi, tranquillos *Reſpublica* tangere, *Portus*.
Talem *Cauſidici*, Talem petiere *Solones*;
Judice Quo, Themidis paſſim Delubra recludi
Conſpicimus, rutilaſque faces fulgentis Honeſti,
Aſtreæ nitidúmque jubar: ſtant *Roſtra* decoro
Tuta Patrocinio, formidatúmque *Tribunal*
Alligat officio cunctos, & lancibus æquis
Partitur jus cuique ſuum, dum fædere pulchro
Fortior, in mediis aſſurgit *Curia*, Caſtris;
Atque *Paludato*, famulantur Jura, CROMELLO.

Ergo age, digne *Pater*! victrices indue laurus;
Nec tamen, exiles hederarum ſperne corollas
Magne; nec oblatæ libamina reſpue Muſæ
Spirantis, pro Thure, *Preces*, & Pectore anhelo
Votorum cumulantis opes, ut primitus alti
Cura Poli gradiens, Terram fulgentibus armis
Circumagas, cæptiſque *Pius* fælicibus inſtans,
Fuſa per *Herculeas*, referas vexilla, Columnas.
Blanda Tibi procedat *Hyems*; *Ver* moxq; propin-
Flore; Coronati cunabula præparet, Anni. (quum.
Picta, peregrinos ignoret Terra, rigores:
Inde ſerenati, clementior aura, *Favoni*
Pratis te pingat croceis; Te meſſibus *Æſtas*
Induat, *Autumnúſq*; madentibus imbuat uvis.
Arva Tibi flores ſpargant; fragrantia, vultu
Rura halent vegetata, *Tuo*; vos pandite Fontes
Naiades, & totum violis prætexite frontem.
Ipſe HUNTINGDUNON Patriis te proluat undis,
Lætitiáque ſcatens *Thameſis* fluat ebrius amnis
Mutatis, in vina, vadis; dum ſponte per agros
Sudent irriguæ, ſpirantia Balſama, venæ.
Sit Pax in terris, celſo & concordia cœlo:

Ruſtica

Ruſtica *Hyperboreus* permutet Plauſtra *Boote*,
Quadrujugis induta Rotis, tremulóq; refulgens
Culmine, *Cromelicos* diſcat comitare *Curules*.
Fælix cui tanti patet indulgentia Cœli!
Cuíque coronatis aſſurgunt ſydera ſtellis.
Cernis ut *Armorum* Domini; *Legúmque* Potentes,
Stellarum in morem, *Phœbo* egrediente cubili,
Acceptas poſuere faces, Radiiſque remiſſis,
Protenus à tanto, ſpondent ſibi *lumine*, lumen.
Illa dies variæ dederat ſpectacula pompæ;
Semper honorandi Cuſtodes nempe Sigilli
Adſtabant de more ſuo; ſtabántq; *Tribuni*:
Cúmque piis ſociis, *Prætor* venerabilis urbis
Coccineis micuere Togis; habitúq; docebant
Quanta *verecundo* Reverentia digna CROMELLO.
Sic ab odorato, redivivus funere, *Phœnix*,
Auroræ ad Populos, & Rubri littora Ponti
Progreditur, cui, mox rapidis per nubila pennis
Indigenæ gratantur Aves, lætæque per auras
Suavia, dulciloquis fundunt modulamina, linguis.
Pacificæ ſonuere Tubæ; ſteteratq; per Aulam
In Plateæ morem, *Miles* fulgentibus armis.

Dom. *Keeblius*, & D. *Jo. de Inſula*, vulgo *L'iſle*, vir omnigenis virtutum dotibus inſtructiſſimus.

Quanta

Quanta Patrũ, Juvenúmq; ſimul glomeramina dẽſa!
Quanta Puellorum fuerant, atque agnima Matrum
In vultus converſa *Tuos!* dum Culmen honoris
Aſcendis, *Cathedramq;* ſubis! Spectacula perquam
Delicioſa Tuis! Quibus haud *Romana* vetuſtas
Æqua tulit; ſimili nec majeſtate verendus
Pellææ Domitor *Paulus* conſcenderat Aulæ,
Atque Catenatum, tulit in *Capitolia*, Regem:
Hęc veterum fortuna Ducum: moderatior at *Tu*
Aerios plauſus, vacui crepitacula vulgi,
Deſpicis, & dignos Tibi quos conceſſit Honores
Anglia, concelas, dum vis Privatus haberi
Qui cunctos pręſtans, meritis virtutibus anteis,
Solis ad exemplum, qui fuſis lumina Terris
Dividit, oblitúſq; ſui, communia curat
Commoda, nec ſibi ſed mundo ſplendeſcere geſtit.
Sed quo peccantem tranſegit devius error,
Tentantem infirmis, & tot ſublimia pennis?
Nam licet immenſo *Phœbus* mihi pectus hiatu
Pandat, & innumeris animet præcordia linguis;
Deficerem imbellis, tantis Conatibus impar.
Nempe *Sophoclæo* memorari digna *Cothurno*

CROMWELLI ſurgent præconia; tránſque remotas
Tethyos ambages, *Atlantæóſque* receſſus.
Illum fama loquax lónge ſublimibus alis
Evehet, & patrio laudes inſcribet Olimpo.
Ille Togæ, Paciſq; *Stator:* ſi juſſerit arma,
Arma, velut ſeges illa virum *Cadmæa* reſurgunt;
Impletura, novos florenti milite ſulcos:
Mars gladios, *Bellona* manus, *Tritonia* mentem
Inſtituunt, ſtreperíſq; ſtruunt certamina Turmis. * band of soldiers
Si *Martem* ſævire vetat, *Mavorte* fugato
Lis fugit, & furiæ redeunt *Acherontis* ad umbras,
Sidereóque redit rurſum *Pax* aurea fronte.
Ergo eia! Auſpiciis jam ſe fælicibus *Annus*
Induat, *Angligenis* referens nova ſæcula Terris,
Sæcula, *Hyperboreo* rurſus luſtrata Metallo,
Totáque *Hydaſpeis* circumradiantia Gemmis.
Túque Triumphatrix animoſa *Britannia* ſurge,
In priſcum reditura Decus; Quæ ſigna per orbem
Sparſeris attonitum, pariterq; in *fœdera* Gentes,
Atque catenato, miſiſti in *vincula*, collo:
Augurio meliore mica; redimitáque paſſim
Tempora, OLIVARI ſertis fragrantibus, ambi.

Ille

Ille Ducum domitor, debellatórque duorum
Magnanimus *Regum*; Qui pacem fanxit ab Armis,
Victoríque ſibi *Palmam*, victíſque *pudorem*
HAMILTONIACIS tulerat, cum *Scotia* tota
Tuedáque lethiferos in nos armaverat Hoſtes.
Amphitryoniades creſcentem *Hic* cladibus Hydram
Sub pedibus calcavit ovans, & *Apollinis* inſtar
Deprędatorem, & tot Jugera ventre prementem
Innumeris, tumidum ſtravit *Pythona*, ſagittis.
Illa Dies niveo *noſtris* ſignanda *Lapillo*,
Hoſtibus illa Dies nigro *Carbone* notanda eſt,
Qua rubuit *Nemeſis* Procerum temulenta cruore,
Qua tanti periere *Duces*, totidémque Popelli
Millia, *Cromwelico* cecidere Piacula, Ferro.
Hoc *Orbis* miratur opus: ſuperátque modeſtam
Tam Facinus prędgrande Fidem; ſed novimus *Angli*,
Nec tantam livor potis eſt abſcondere famam.
Senſerat horribiles trepidans LANCASTRIA, turmas;
PRÆSTONIUM rapidos, & adhuc reminiſcitur enſes.
Nec Marius *Cimbros* tanto certamine fudit:
Viderat aut *Marathon* ſic fuſos turbine *Perſas*;
Miltiades Dux cum diris concurſibus, Hoſtem
Stravit,

Stravit, & ingentem ſepelivit ſanguine Campum.
Illa * *Monaſterii* Legum notiſſima ſedes
Occidui Tibi teſtis erit, teſtabitur ingens
Aula *Caledoniis* longùm decorata Trophæis.
Cernite, Qui *Annales* veterum volvetis Avorum;
Cernite, Qui *Proceres* famam meruiſtis ab Armis;
Cernite vos *Reges*, Quò ſic excreverit Ille
Mirandæ virtutis apex; Qui ſtravit *Iernam*
Vel viſæ terrore manus; totidémq; diebus
Edomuit *Scotos*, quot vos potuiſtis in annis.
Forſan mira cano; ſed tandem vera canentem
Agnoſcet præſens, veniénſq; fatebitur ætas.
Conticeant tandem veterum deliria Vatum,
Nec ſic *Argolicas* Claſſes, ſpoliúmq; *Pelaſgæ*
Pubis, & auriferum raptum de Colchide vellus
Grajugenæ jactent; nova naſcitur Anglia *Cholcos*
Alter adeſt *Jaſon*, Qui poſtquam *Pellicis* artes
Cantatæ vicit, Belli ſpolia ampla *Tribunis*,
Velleribus graviora dedit; ſublimibus auctos
Et Titulis toto vulgavit Nomina mundo:
O quam *Te* memorem! Cui non præſentia ſecla
Cognovére Parem; cui non antiqua Priorem,

* Vulgò *Weſtminſter-Hall.*

Vel ſimilem peperere, licet *Romana* vetuſtas
Heroas numeret priſcos, monumentáqe volvens
Attoniti, *Proceres*, jactet miracula, mundi.
Te, ſi inter Priſcos, genuiſſet *Roma*, Dynaſtas,
Mutâſſet tum *Roma* vices, veteréſque Magiſtros,
Nec ſub *Conſulibus* hæſiſſet ſemper avitis,
Quæſitura novos, Te PROTECTORE, Triumphos.
Diſce ergo ampullas, poſitáſque remittere faſces,
Nec *Caput* ulterius Te ſic jactaveris orbis,
Terrarum *Caput* ecce novum! Quod faxit *Olympus*
Hujus ut auſpiciis naſcens *Reſpublica* creſcat
Corpus in immenſum, validíſq; reviſet Eôum
Puppilus, ignoti referans Penetralia mundi.
Principe *Te* tales fas eſt ſperare Triumphos:
In *Quo* ceu centro, chariſmata tanta, tot altas
Virtus tum dotes cęleſtum cura recondit.
Quæ Tua ſit Pietas, quæ ſit Clementia, narret
Anglia, Qui veniam toties peccantibus offers,
Et pœnæ parcus, pœnæ terrore gubernas:
Cęlicolę *Patris* exemplo, qui ſpicula vibrat
In ſcopulos, & Monſtra maris, noſtrique miſertus
Sanguinis, hoſtiles labefactat Fulmine terras.

Senſerat

Senſerat ah! quoties *Tranquillum* turbidus *Anglus!*
Cujus charus amor Patriæ, Pietáſque Proqinquos;
Defenſiſſe fuit, non extinxiſſe *Britannos.*
Nec ſecùs ad noſtras Bellator cogeris oras,
Quam *Tigris* mater catulis ſuccincta tenellis
Dira, per inuito fertur venabula, ſaltu.
Illa quidem (obſtaret niſi ſors, ſenſúſq; ſuorum)
Sævius in Turmas, circumſtantúmq; furores
Irrueret, trepidos & dentibus ocyus Hoſtes
Contereret; ſed Prolis amor crudelia mollit
Pectora, & in media, catulos circumſpicit, ira.
Sic Hoſtes armis, meritis, ſic mollis Amicos.
Nam poſt tot Belli rabies, Lituíque furores
Tu *Civi* pacatus ades, non fronte ſuperbo
Deſpicis, aut trepidam crucias terroribus Urbem:
Arma petant Proceres ſola feritate timendi;
Munimenta locet gaviſus cæde Tyrannus,
A tergo & trepidas cingat Legionibus Arces.
Hæc *illi* faciant: *Tibi* non ſors iſta furentum
Convenit Illuſtri Patriæ Pacíſque Patrono.
Ipſe *Satellitio* tantum ſtipante Tuorum
Concilium prægrande ſubis; nec inutile quæris

Ferri præſidium, Patrio munitus amore.
Nempe *Tibi* Pietas externis indiga telis,
Te clypeo Parmàque tegit; nec quærit aſylum
Simplicitas candórque placens, licet improbus ora
Solvat, & inſanis ructet convitia buccis.
Stabis ovans Sanctis columen, validúmq; piorum
Tu munimen eris, quamvis Compage *Typhöeus*
Exiliat lacerâ, ſæváque immugiat *Ætnâ*
Enceladus, imi *Furiáſque* excuſſerit *Orci*.
Scilicet adverſis virtus notiſſima rebus
Nullis mota minis, animis audentior ibit,
Et velut æthereo colluſtrans lumine terras
Stelliferi *Regina* Chori, dicteria ſpernet
Latrantum furioſa canum; ſic mentis ab arce
Fortuna major, ſublimi vertice ſurgens
Altior invidiâ, mortales deſpicis iras,
Vanáq; Secticolæ contemnis ſcommata turbæ.

Surge Pater *Britonum!* noſcátq; remotior axis
Quantum equidem ſpes noſtra tuo ſublata reluxit
Ingreſſu; Qui poſt tot ſævi incommoda Belli
Antiquas gaudes *Patriæ* reparare Ruinas,

Vul-

Vulneribúſq; novam labefactæ reddere formam.
Hinc marceſcentes Literis renovabis Honores,
Reſtituéſq; novis Academica Præla Figuris.
Surgite Sopitæ, quas *Ignorantia*, Muſæ
Obruerat, cęcíſq; diu tumulaverat umbris:
Surgite Virtutes, fæcundáq; pullulet ætas
Proventus viſura novos. *Te Præſide* priſcus
Pieridum Fons ille fluet torrentior undis,
Æmulus, auriferáſq; *Tagi* ſuperabit arenas.
Tum *Cirrham* pius horror aget, vicináq; *Delphos*
Oxoniæ, Reſponſa dabit: Soror inde reſurgens
Alma *Mater* geminas pręgnanti nectare mammas
Porriget, attonitis referens Oracula terris.
Nempe Tuæ, O *Præſes*, oculatum mentis acumen
Luſtravit *Tripodum* tenebras, & Apollinis inſtar
Errorum latebras meliori luce retexit.
Scilicet ad vultus venerandos, *Dagonis* inſtar
Sectarum *ſimulachra* cadent, ibúntq; retrorſum
Dogmata, ad antiquum penitus detruſa Barathrum,
Quæq; Polucephalis repſerunt *Schiſmata* turmis.
Vindice Te Auguſtam non deprędabitur ædem
Sacrilegus, rapidíſve teret Sacraria plantis.

Non

Non ex Relliquiis Delubrorúmq; Ruinis
Perdita diteſcet Pubes, Populíq; miſelli
Non tunc, (*Ære* graves alieno) Marmora miſcent
Deteriore Luto; non Integumenta Sacellis
Semirutis rapient, Campanarúmq; tot annos
Sacra, liquefacto confundent *Ære* Metallo.
Scilicet Heſterni pejori à parte Senatus
Hoc fuit in votis, Sacrati præmia Cultus
Perdere, & extincto *Decimalia* tollere Clero.
Sed Superi vetuere minas: *Tu* Dúxque futuri
Anxius eventus, auſis crudelibus obſtas.
Illa Monaſteriis ſtabit pulcherrima moles
Te Duce, perſtabit ſubnixa *Eccleſia* clauſtris
In ſcopuli morem, ringentibus undique Sectis
Caſſáq; Kirkicolo circumlatrante Popello.
Judice *Te* Leges, Conſultáq; fortiùs ibunt
Subſidio cùm Miles erit; poſitiſq; parumper
Enſibus, ediſcent *trabeati* Jura *Tribuni.*
Cum decus antiquum mox *Anglia* tota reſumet,
Et Parliamenti Diplomata priſca futuri
Ad nova Purpureos ſuadebunt vota Quirites.
Tum T*ibi* ceu Patriæ *Genio*, concordibus actis

Sacra Cathedralia vulgo *Minſters.*

Patricii

Patricii applaudent Proceres; uno ore ſonabit
Concilium prægrande Decus, recolétq; Parentem,
Oſq; Tibi auguſtum ſculpto venerabitur auro.
Os Illud cuius fundit facundia quicquid
Utile Finitimis; quicquid Conducat Honori
Noſtrorum Britonum, Quos tutelaribus Armis
Aſſeris, aſſertos & Legum ſæpibus ambis.
Nam de *Te* Armipotens *Pallas*, Linguæq; Magiſter
Mercurius Certamen habent, & Jure repoſcunt
Ceu ſeptem quondam Populis diſcordibus *Urbes*
Certârunt pro *Vate* ſuo. Quid acumina mentis?
Quid referam *Eloquii* Dotes? Oríſq; fluentem
Melliflui Suadam? Cui non *Amphiona* quiſquam
Comparet *Æonios* modulantem Carmine ſuccos,
Lapſáq; morigeris, fiſtentem Flumina, *Nymphis*.
Auditum ſtupuere Senes. Quæ Pondera Rerum
Creverunt Sermone Tuo? nec dignius uſquam
Anglia *Patricio* meminit ſe more loquutam:
Eloquio nec ſolus ades; Reparabile Gentis
Conſiliis orditus opus: nec mole Laborum
Tantorum proſtraris iners; Quis pervigil *Argus*
Lumine Centeno; Quis Centimanúſve *Briareus*

Tot

Tot ſimul oppoſitis poterit confligere rebus?
Dividis ingentes curas, Téque omnibus unum
Objicis invictum exemplar; ſic fulgida Olympi
Imperialis *apex* ſublimi culmine nixa,
Perpetuum nulla temeratum nube ſerenum
Celſior erigitur pluviis, audítq; ruentes
Sub pedibus nimbos, & nigra tonitrua calcat:
Sic *Tu* Dux patiens, per tanta negotia liber
Emergis, ſimiliſque Tui; *Tu* Norma Regentum
Et novus Anglorum *Xenophon*, molimina Rerum
Morigerum ceu flectis *Equum:* Tu tantus in Armis
Arbiter; ingentes Acies, Claſſéſq; gubernas
Exiguę, ceu membra, Domus. Quos miſit ab oris
Tellus *Hyperboreis*, placatâ fronte Miniſtros
Excipis; Auguſtę *Reginæ* Nuncius, actis
Unde *Tuis* gratetur, adeſt. Reſponſa *Batavus*
Accipit, infęlix, & caſſos ventilat enſes.
Quid loquar attonitum tantis ſucceſſibus orbem?
Et Tecum validas ineuntes *Fœdera* Gentes?
Magnus adeſt *Venetus*, Legati & nomine clari
In Tua concinnas nectit pręconia voces.
Tu quoque *Borbonii* virgo caſtiſſima Sceptri

Angli-

Angligenis Fidei præbens exempla futuri,
Ad PROTECTORIS vultus dum poplite flexo
Funderis, emiſſis ineuns pia Pacta *Miniſtris.*
Hinc Pater ALONSO canis venerabilis annis
Sollicitat, longam ſolidátq; in ſæcula Pacem.
Inde ſuæ Patriæ, & *Latialis* adorea linguæ
LUSITANUS adeſt, ut Regni Fędera tanti
Sanciat, *Heſperio* performidanda *Philippo.*
Regius *ille* quidem Princeps, *Regiſq; Propago*
Legati non ſpernit onus, non tędia; Regni
Moliri laceras nec dedignatur habenas.
Stemmate nam magnus, Trabeis ſublimis, & armis
Maximus, à Geſtis nomen memorabile avitis
Latius extendit propriis, Generoſius altam
Virtutem titulis, Titulos virtutibus ornans.
Naturæ ceu Norma foret, mirabere pulchram
Corporis anguſti ſpeciem, ſolidíq; profundum
Pectoris eloquium: Quem ſi vel priſca tuliſſet
Ætas, *Mœonio* non poſthabuiſſet *Homero.*
O fęlix noſtram Legato in *Principe* Gentem!
Fęlicémq; magis Te *Protectore OLIVARO!*
Qui Bello, Qui Pace potens, vi Fulvius, arte

Portugalliæ Legatus.

Inſtrueris *Fabius*, verâ & pietate *Metellas*.
Quíq; repentinos extinguis in æquore motus,
Conſiliiſq; premis *Batavæ* molimina terræ.
Seditioſa *cohors !* quæ vos animavit *Erynnis*
Dira, laceſſentos in bella ciere *Britannos*,
Per quos ſic veſtris crevit *Concordia* rebus ?
Vipera ſic miti nimis exitioſa Parenti,
Dentibus inſanis ſic viſcera rodere, lucem
Unde habuit, ductæq; tulit *primordia* vitæ !
Heu nimis *ingrati*, primæ cunabula *Cauſæ*
Volvite, cum teneris *Reſpublica* vagiit annis
Altricéſq; *Nurus* toties ploraverat *Anglos*.
Quantula tum fuerat *paupercula* turba popelli,
Cùm *Tarteſſiaci* moles metuenda Tyranni
Ingruerat, fuſis Terrámq; umbraverat alis ?
Ergo infęlices eheu deponite faſtus
Prætumidi, veteres Protectoréſq; *Britannos*
Noſcite vos humiles tandem, notóſq; timete.
Sed quid ego indomitis calcanda monilia *Belgis*
Projicio demens ? non argumenta, ſed enſes
Vibrandi, ut lites quæ non de Jure *Togatus*
Diſſolvat, *Miles* Ferro diſcindere diſcat.

Ruperat

Ruperat optatæ jamdudum Fędera Pacis
Belga viris ratibúſq; potens: ſpretóq; Senatu
Legatiſq; Togæ, numeroſo in Bella ruebat
Remige, & expoſitis umbrabat cęrula velis.
Nec nunc *extremis* Hoſtis quęrendus ab *Indis*,
Longa nec *Heſperii* revocanda injuria Sceptri,
Nec juvat *Eöo* tentoria figere mundo:
Sed vicina placent propioráq; lucra *Batavis*,
Anglia nam petitur, pinguíſq; *Britannia* tantùm
Belgiacæ *Buccella* gulæ: ſine mente *Coloſſos*
Miles avet, geminóſq; ſibi ſuffuſius Indos
Suggerit, auriferæ ſpe *ſublactatus* arenæ
Ambitus immodicus, longæ per viſcera terræ
Ille fuit, tantíq; tenax fiducia cępti.
Nec lituis opus eſt; nil Claſſica pulſa moratur,
Navita, pellectus ſolæ dulcedine *Prædæ*,
Innumeræ crevêre manus; vici, oppida, & urbes
Conſcriptis fremuere viris; nec denſiùs, (actæ
Funera poſt pugnæ) *Corvi* nigrantia tollunt
Agmina carnivoris fodiúntq; *cadavera* roſtris:
Nec Terris ſtat ſolus honos; jam *Fluvina* ſurgunt,
Et ſtreperis dominantur aquis; hinc *Moſa* ſuperbit

Auctior, & gemini turgeſcunt cornua *Rheni.*
Sic Pelago vaga Caſtra natant, & lignea moles
Textelicis incumbit aquis, miróq; putares
More, rates *peperiſſe* rates; numeroſa propago
Tanta fuit *Tethidi*, Nemorúmq; tot *Incrementum.*
Nec modo quę à gemino tulãert Cõmercia mundo
Suffecere rates, Bellaci ſternere Pontum
Remige nam gaudent, aliáſq; recondere puppes.
Claſſibus imponunt *Tormenta* minantia mole;
Sulphura, Funereáſq; faces, ſæváſq; ſecures,
Et quaſcúnq; manus, ménſq; ingenioſa remotas
Invenit exitii cauſas, formáſq; nocendi.
Quæ per *Norvegicæ* nemeroſa cacumina terræ,
Quæq; *Boruſſæis* ſtrages lachrymabilis oris
Arboribus, ſylvíſq; fuit? Quæ forma cadentum
Exſanguis ſtipitum? ſucciſis cortice truncis
Pallentes jacuere trabes, & Robora adacta
Vulnere, ſuffuſis paſſim plorantia guttis.
Sic Batavos *Vegetiva* docent, ceu *Numinis* alti
Inſtinctu fuerint venturi *Præſcia* Fati.
Sed nihil admotis, aut præcedentibus aſtris
Proficere hebites, cùm quondam carcere rupto

In-

Ingruerant fluctus, & tot cum Plebe *Penates*,
Et *Pecudes* uno tumulaverat unda *ſepulchro*.
*V*el pridie cum *Tethis* aquas excuſſerit imis,
*V*orticibus, virides involvens ſtragibus agros,
Solveret offenſæ ceu juſta *Piacula* Terræ,
Diluerétq; nefas, vetitíq; incendia Belli.
Perdere ſic quos vult *Divini Numinis* ira,
Per ſcelerum latebroſa ſinit veſtigia ferri,
Cęca, ſupinato dementans Corda, *veturno*.
Nec differre placet tanti molimina cępti
Belgarum Dominis, ſed mox Concordibus auſis
Claſſibus arma parant, Claſſéſq; opulentius armis
Inſtituunt, populoſa ſuis quæ cuderat oris
Amſtela, Batavicæ moles celeberrima Gentis.
Concurrunt ad cępta *Patres*; ſtant fœdere firmo
Unanimes populi; ſurgúntq; in pręlia paſſim
Oppida, & aggeſtum promunt *Æraria* cenſum.
Túque parens * merſæ *Vliſſinga* uberrima terræ
Erigeris, ſęvíſq; animis ingentibus, Anglis
Excuſſa antiquis, "*Dominoſq*; oblita *Britannos*.
Brilláq; Bellipotens mutatis turbida habenis
Egreditur; *Medii* turgent molimina *Burgi*
Bellica,

* *Zeland* dictũ quaſi *Sea-land*.

" Uliſſingæ, Brillæ, & Ramekins Præſidia, Anglis erant oppignerata; quæ *Jacobus* R. indelebili noſtrorum dedecori remiſit, & reſtituit ingratiſſimis illis, Qui eundem Regem loculis inaniter expoſitis, enſiſque capulum ſera obſtrictum, (vulgò *a padlock*) perditè depinxerant.

Bellica, & aërias attollit *Rottera* Turres.
Hagámq; prętereo, *Schidámq;* & plurima Caſtra
Non calamo pingenda meo, quia denſior inſtat
Materei moles, cingórq; ſequentibus actis.

Jamq; per immenſum *Belgarum* educitur æquor
Claſſis, & impulſis ſonuerunt cęrula Roſtris:
Concurrunt agiles Nautæ, officiiq; capaces
Lintea laxato pandebant carbaſa lino.
Dicite vos *Tritones*, (nă vos hæc ſcire putandũ eſt)
Quantus erat circum furialis littora clamor?
Stabat mæſta cohors ſingultibus aſtra laceſſans
Et ſparſis laniata comis, hinc ordine *Matres*
Attonitiq; *Patres:* Hęſit *Genitoris* in ulnis
Filia, nec charum voluit demittere *Fratrem*
Circumfuſa *Soror*, lachrymiſq; humectat abortis.
Non aliter Batavis graſſatus littore luctus,
Cùm nova *Textellicis Claſſis* deceſſicat undis;
Claſſis Io! quæ fata Maris miſerúmq; *Britannis*
Interitum, integręq; ferat diſpendia Terræ.

Nec minor *Angligenis* audacia gliſcuit oris,
Nempe ubi *Batavicæ* fatalia murmura Claſſis
Adventare STATUM, ſpretęq; *Injuria* Gentis

Excu-

Excuterat longo validos torpore *Britannos*;
Ocius unanimes confederat *Anglia* vires,
Et toties *Tellure* potens, victrixq; *Profundo*
Stat, casus renovare omnes, ingentibus ausis,
Et reparare Decus, vel laudem *morte* paciſci.
Nec mora jam *ſylvis* ſęvæ incubuere ſecures,
Et ferri ſedanda ſitis: Jam luſtra ferarum,
Jam Nemora alta cadunt, & quæ *vivaria* Brutis
Illuxere, *viris* jam Caſtra natantia ſurgunt.
Téte nec ELTHAMI modico de colle tumeſcens
Protegit annoſi quondam reverentia Trunci:
WIMBILETONE tibi imberbis nil profuit ætas,
Nil pubeſcentes primâ in lanugine Quercus;
Magnificam quamvis jactas ad ſydera molem
Florida finitimis pandens habitacula Faunis.
Sic colitur commune bonum, dum pectore lęto
Magnanimus DOMINUS ſtructura ingentior omni
Publica privato pręponit commoda damno.
Eſculus hinc, illinc *Abies*, Ulmúſq; viciſſim
Oblatæ irato, ceu tot libamina, Ponto.
Formoſis viduata comis, & cortice, Pinus
Scinditur, & tremulis peridonea Fraxinus haſtis.

Nobiliſſimus & Illuſtriſſimus Dominus, *Johannes Lambertus.*

Túque

Túque ſoli, ſylvæque decus *Dedonia* Quercus
Occidis, & poſitis ſubmiſſa cacumina terris
Findis *humum*, foſſâq; aperis tellure, *ſepulchrum:*
Unde brevi *ſurgens* ſublimibus armamentis
Exis, & immenſis *ramos* exporrigis undis.
O ter fęlices, fortunatóſq; *Britannos*!
Indutis *Natura* quibus, commilitat armis,
Dum mutant *Elementa* vices, migrataq; longe
Sylva coit *Pelago*, noſtris ut *adoerta* fuſim
Pullulet, & Britico *ſylveſcant* ſerta profundo.
Nec ſylvis ſęvire ſat eſt: Lignaria proles
Nec Claſſi ſuffecit; aquæ majora repoſcunt
Robora, majoréſq; manus. Hinc altera pubes
Abdita ſecretæ ſcrutatur viſcera terræ,
Fruit & cęcis ferrum lethale cavernis,
Tormenta ut rapidis *Cyclopum* cocta caminis
Conflet, & indomitum, domitura *tonitrua*, Martem.
Nec jam materiem Belli, ſegetémve neceſſe eſt
Longinquis quęſiſſe Jugis; huc ora *Britanni*
Vertite ad altricem prębentem pabula Matrem.
Quanta metalliferis Caledonia noſtra Fodinis
Argenti, Ferriq; ſatur talenta miniſtrat?

Dicite

Dicite *Montanis* Nemorum peridonia *Sylvis*
Copia quanta *Salo?* Quæ celſa Cacumina fuſim
Conſita, *Hiberneos* ſurgunt, ſuperantia, ſaltus.
Clarior Ignivomam nunc *Anglia* tranſtulit *Ætnam*
Anſoniæ & Portenta Plagę; nova *Derbia* Lemnos
Naſcitur Angligenis, *Steropéſq*; aliunde ſtupemus,
Et Brontes BREMINGE tuos, rutilóſq; miniſtros
Sęva *Cycoplæis* peragentes penſa lacertis.
Quis ſtrepitus? quis clamor ovans? conamina quãta
Artificum ſurgunt, & munia nota faceſſunt?
Dicite *Belingi* Qui turbida littora noſtis,
Unde atavis BILLINGE tuis memorabile nomen
Luxit, & antiquis excrevit *Janua* ſaxis.
Dicite *Southreſii* qui noſtis compita vici,
Vel Plateas LONDINE tuas, quâ mole ſuperbâ
Tollitur, & celſo *Turris* nitet ęmula Cęlo:
Turris Io! Decus & veterum munimen Avorum
Gazophylax *Ferriq*; potens; proh ingentia ſaxa
Cæſareæ monumenta manus! non *Manſolæo*
Magnifico, *Rhodio* nec poſtponenda *Coloſſo.*
Nec ſolùm *Iliaci* per ſplendida męnia *Bruti*
Artificum crevere manus, ſed longiùs actæ

Alluſio ad D. *Edvardum Billinge* Cornubienſem, Signiferũq; cohortis viri vere nobilis D. *R. Hutchinſi* Dunelmenſis.

Per portus *Cornute* tuas, & fortius ęſtro
Blackwall. Qua *Nigri* Thameſis circundat littora *Muri.*
Apparat egregias RADCLIFFIA dura Rudentes,
VAPPINGęq; potens paſſim per littora curva,
Expedit ignivomos Vulcania Secta labores
Deſudátq; novis *Lipare* latebroſa caminis,
Pyrobolos conflata graves, quibus alta refringat
Robora, & excuſſis tabulata trementia Tranſtris.
Sic labor, & ſparſis aucta eſt induſtria terris;
Communíq; manu, paſſim & communibus auſis.
Middleſex. Nec MEDII tantum per propugnacula SAXI,
Vel portus ESSEXE tuos, vel littora CANTÎ
Qua *Graveſenda* meat, quâ *Roffia* ponte ſuperbit,
Vel *formidandam* jactans *Dorobornia* molem,
Deſpicit adverſi minitantia Caſtra *Caleti:*
Sed per finitimos vicos, Urbéſq; remotas
Nautarum valuere manus. *Ipſuechia* teſtis
Prodeat, & ſcriptas numeret *Norfolcia* turmas.
Dives opum, Ratiúmq; ſatur *Portſmuthia* turget,
Briſtolicíq; novis Portus fremuere Carinis,
Scilicet immenſum, immenſo molimine cęptum
Tollitur, omnigenis & Nauta arceſcitur oris,

Solis

Solis ubi radii *Septem* convexa *Trionum*
Occaſúſq; beant, ubi ditior * *Orrea* ſurgit
Metáq; *Barvicum* validis Boreale *Britannis.*
Rurſus &*occiduas* ſi mentem adverteris oras
Quâ Montem *Michaele* tuum *Cornubia* fęlix
Porrigit, extremíſq; ſolum diſterminat undis.
Síque ad *Belgiacos* iterum ſpectaveris *Anglos*,
Quâ turres *auſtralis* ovans *Hamptonia* tollit,
Quâque truces olim poſuere cubilia paſſim
Durotriges; ſociis vel quâ *Devonia* Campis,
Occiduíq; ſedet Rectrix PLEUMOSIA Ponti
Devonia ô felix! fęlix Natalibus olim
Magnanimi MONACHI, *titulos* qui clarus Avorum
Implevit *meritis*; cujus vel *Nominis* ingens
Umbra, *Caledoniis* ſat formidabilis oris:
Cujus magna *manus* cunctis invicta Procellis,
Tanta *Solo*, fecitq; *Salo*, totiéſq; triumphos
Rettulit à victis numeroſâ cęde *Batavis.*
O ter fęlices unità Pube *Britannos!*
Sydera dum *Boreæ* coeant *Auſtralibus* oris
Humbríq; ſuo LONDINI ampliſſima Nympha
Juncta, *maritatis* Patriæ commilitat undis.

* Teſte Ptolomo, *Newcaſtle* dicitur.

Sic enim agri *Somerſet. Wilton.* & *Hampt.* teſte *Camdeno* nuncupantur.

Georgius Monk Hypoſtrategus & alter Thalaſſiarcha, filius erat *Thomæ Monk* Equitis Aurati Devonenſis.

Thamefis.

Túque *Caledonii* Gens tanti conſcia cępti
Exultas, Patriis nec LETHI deficis auſis.
LETHA viris, nautíſq; potens; cui prępoſitus unus
*FENWICKIUS fęlix admotis mollis habenis:
Et quam WILKESII cunctis ſervaverat auſis
Sedulitas raro & cedens *vigilantia* ſomno.
LETHA minax Nautis longum per cęrula miſſis
Auſpiciis ATKINE tuis; commune tuorum
Hoſpitium, & communis amor; *Conſtantia* cujus
Et ſincera *Fides*, Patriæ ſat cognita Terræ;
Macte animi! virtute tuâ ſublime reſurgas:
Quis *Mercaturas* exercuit indole tali?
Dicite *Lethicolæ* Nautæ, mage nobilis an *Mens*
Liberiórve *Manus*? Qui ceu libamina Ponto
Sacrificavit opes, à diris damna *Batavis*
Qui tulit à rapidis & tot diſpendia *Gallis*
Gabrantòvicii circum confinia Ponti.

Interea dum multa manus convenerat unà
In veſtris *Chattame* vadis, miſerabile monſtrum
Diſſidii, infernæ proles inviſa gehennæ,
Vidit ut unanimes armari in Fędera claſſes
Inter Navicolas ſparſit, contraria, cępto
Semina, & inſano turbavit pectora motu.

Sed

*Col. *Georgius Fenwick*, Lethæ, Edinb. & circumjacentium ſupremus Præfectus.

Vicichiliarcha *Timoth. Wilks*, Præfectus vicarius, vir omnigenis pietatis & rei militaris dotibus inſtructiſſimus.

Col. *Samuel Atkinus*, generoſiſſimum hoſpitalitatis exemplar, qui nullis impediendus jacturis plures puppes adverſus *Belgas* bellica ſuppellectile apparatas ſuis ſumptibus inſtruxit.

Littora ſunt in Comit. Ebor. vulgo *Flamborough head* quæ Ptolo. *Gabrant.* vocitat; ubi, atque alibi *Atkinus* jacturas perpeſſus.

Sed languet conatus iners, ventóq; furente
More perit Bullæ, tenuéſq; faceſſit in auras.
Nempe pię DEANI prętentia magna, Ducúmq;
Pervigil ingenium, diras melioribus artes
Artibus eluſit, Stygio emiſſáſq; Barathro
Diſſidii, primo flammas extinxit in ortu.
Unde alacer rurſus rapidos animoſus in hoſtes
Nauta minax graditur, duplicíq; extenditur ęſtu:
Nempe amor admotus coaleſcit litibus ex his
Fortior, illatóq; vireſcit *vulnere* virtus.
Poſt tempeſtates, longę & caliginis umbras
Sic placidos *Sol* premit equos, ſudóq; reducto
Lętior erigitur, cupidúmq; illuminat orbem.
Quiſq; ad opus jã cinctus adeſt; concorditer omnes
In poſitâ ſtatione movent; vehit ille *ſaburram*
Et *lapides* cophinis; cava *Dolia* corripit alter
Queis placidas infũdit aquas; huic *Anchora* curę eſt'
Armamenta illi, Ratis & numeroſa ſupellex;
Antennas alii ſumma ad *charchęſia* ducunt
Impręgnando novis turgentia Carbaſa ventis:
Ultima Conigeri repetunt faſtidia mali
Nautæ turba alibi; pedibus ſcandúntq; *rudentes*

Schę-

Schænobatum de more agiles; nec tanta *Sciuris*
Dexteritas nota eſt, qui implumibus æthera plantis
Tranſiliunt, celſis, & ſumma cacumina ſylvis.
Feſtinant omnes, diſcors viréſq; animóſq;
Extorquet clamor, ſubterq; ſuperq; Rudentum.
Murmure nec tanto (ſi fas conferre puſillis
Grandia) flavicomis referentes agmina cellis
Hybleos mellita tegunt *Examina* Montes;
Cereus, & raucis *Exercitus* obſtrepit alis.
Tandem fama volans ſubitis trans æquora pennis
Per *Geſſoriacum* littus, Britonúmq; per oras
Nunciat hoſtiles metuendo robore Naves,
Non procul obſtantũ religari ad vincla Rudentum.
Jam *Batavus* Graſſator adeſt TROMPEIUS Heros
Brutigenúmq; premens Centena claſſe Profundum
Protulit in medio Bellacia Carbaſa DUNO:
TROMPEIUS, interitum qui ſic juraverat *Anglis*
Funditus, & totam cum ſtirpe revellere Gentem.
Sed modo dum tanto furit hic Promiſſor hiatu,
Fallitur eventu, redeunt ſcelerúmq; ſagittæ
In caput, adverſis tumidus quas torſerat aſtris.
Sic dum ſæva parat ſociis Tormenta *Perillus*,

Ipſe

Ipſe ſuo moriens, immugit flebile *Tauro.*
Prima mali novitas vicinos terruit *Anglos*;
Sed vetus extemplò redit in prȩcordia virtus,
Horrendáſq; Rates *Bataverum* mentibus æquis
Vociferi ſpectant, & læta *Celeuſmata* tollunt.
Nec mora; Præſenti committunt Carbaſa *vento*
Unanimes, Cauſámq; *DEO.* De littore funes
Solvere, & excuſſos *Rector* laxare Rudentes
Imperat, obſequii Compos, *Neptunia* proles
Paret, & immenſas velorum præparat alas,
Antennáſq; leves; Roſtris ſpumantibus æquor
Stridet, & innumeris *Phocæ* ſtupuere Carinis.
Tandem depulſa nigræ caligine Noctis,
Poſtera lux radiis totum patefecerat orbem.
Inde *Cataſcopio* longinqua per æquora miſſo,
Quique Rates paſſis velis prævertérat omnes,
Jam *Batavos* inſtare monet. Fortiſſima pubes
Brutigenum erigitur, tardam & certaminis horam
Pronior anticipat, votíſq; furentibus haurit.
Ergo *Britannorum* numeroſa gente tumentes
Poſtquam altum tenuere *Rates*; manſueſcere venti
Cæperunt, poſitíſq; minis, *ſuſpiria* viſi

Fun-

Fundere, luctificis & murmura lenta *ſuſurris*;
Cedere ceu moniti fuerint gravioribus iris,
Séq; magis gemerent *Hominum* plus poſſe furores.
O ſuperis dilecta cohors! cui fundit ab alto
Veliferas *Mavors* acies; cui flamina miti
Molliùs Æolii ſpirant in carbaſa venti!
Jamq; parùm ſpatiis Pelagi diſtantibus ambæ
Ingruerant *Acies*; hinc BELGA Leonibus inſtat
Ungue ſagittiferis, pictis panduntur hiatus
Terribiléſq; minæ roſtris, ceu vultibus iſtis
Terrerent, validos debellaréntq; *Britannos*.
Illinc ANGLORUM Puppes Inſignibus ibant,
Qui *Crucibus* junxere *Lyras*; iſto omine tanquam
Lętæ adverſa pati, placidi & modulamine plectri
Aſpera in irato mulcere pericula, Ponto.
Puppibus obruitur Pelagus; convexa tueri
Nec licet, aut ſubter labentes cernere fluctus.
Moles tanta fuit Ratium, tenebráſq; tulerunt
Cimmerias, * Lateris diſploſa tonitrua primi.
Inter *Brutigenas* Rectrix RESOLUTIO puppes
Primitùs emicuit, velut inter *Luna* minores
Cęlorum faculas ſomno *nictantibus aſtris*.

Illa

Hollandi geſtabant in vexillis Navalibus Leonem dextrorſum gladium, ſiniſtrorſum ſagittas vibrantem.

Inſignia Anglorum Crux & Lyra.

* Anglice, a *Broad-ſide*. *Reſolutio* Ratis magnifica Generalis adſtitit in illa pugna, quam *Admiralem* vulgi vocitant.

Illa Duces ſummos *Blakeum*, *Monachúmq*; *Deanúmq*;
Belligeros portavit ovans; Qui more novorum
Scipiadum exibant, pro libertatis Honore
Caſuri *Patriæ*; nec tanto vindice *Roma*
Salva erat, *Auſoniam* premeret cum milite *Pœnus*
Hannibal, & victis peteret Capitolia *Cannis*.
Illa Armis, & fœta viris tractantibus Arma
Septuaginta vomens patulis incendia Portis.
Terribili tonuit per cærula ſalſa fragore:
Exoritur clamórq; virum, ſtridórq; cadentum
Lugubris, ſparſo & jacuere cadavera Ponto.
Et jam tota Cohors *Ratium* velut Agmine facto
Sulphureos vomuere globos; hinc ardua *Belgæ*
Progenies, illinc proprio furit Anglia Duno.
Profuerant litui minimum, confuſa tubarum
Murmura merſa ſilent, & claſſica victa faceſſunt.
Ignea vibratis certant *Tormenta* favillis
Ereptum revocare *diem*; ſed furvus obumbrat
Sulphuris horror aquas: ut *Nox* fuit illa, *Dieſve*
Ambiguum eſt, quæ tot Nautas vitalibus auris
Suſtulit, æterno componens lumina *ſomno*.

Deanus ut adverſas videt increbeſcere Claſſes,
Aligeris dat vela notis, propiórq; *Batavis*
Adſtitit, ad lęvum tranſverſis brachia * coſtis.
Prima quidem Pugna facies (quam ſera dolebit
Poſteritas, præſénſq; gemens reminiſcitur ætas)
Terribilis triſtíſq; fuit, Quæ turbine diro
Abſtulit, & primis Deanum deleverat auſis:
Scilicet admoto ſurgens animoſior hoſti,
Atque animo dum vela dabat, Puppiq; viciſſim,
Hortatúſq; ſuos validis incumbere ceptis;
Fulmine *ferrato* transfoſſus pectora, tandem
Labitur, & Patrio ſuccumbit *victima* Ponto.
Non impune tamen *Batavi* ſenſere cadentem,
Nec comites veſtri, Deane ō celeberrime! inultam
Permiſere necem: rapido qui more *Leonum*
Hoſtibus occurſant diris, teſtéſq; carinas
In *Tua* fata vocant. Subito ſic fulminis ictu,
Fraxinus, aut variis ſucciſa ſecuribus *Ornus*
Nutat adhuc, tandemq; ſolo revoluta recumbit,
Vicinóſq; premit prægrandi pondere Truncos.
Interea Monachus fato turbatus Amici
Ingemit infęlix, & formidabile fervens
Vin-

* Angliciſmus eſt, *Arms-a-Kembo.*

Vindictam meditatur atrox; Gentísq; ſuperbæ
Interitum, & cunctis molitur funera *Belgis*;
Nec leviora litat tanto libamina Buſto:
Præ *Quo*, ſi fulvo Plumbum penſaveris *Auro*,
Trompeius haud tanti, vel *Belgia* tota ſtetiſſet.
Nec mora; mox litui, mox claſſica pulſa ſtrepeſcunt
Attonitis, permiſta, Tubis; *Tormentáq*; paſſim
Bellica, ſulphureis vomuere *Tonitrua* ſcloppis.
Vicinis labefacta jugis, tum lurida tellus
Mugiit, obductis & torpuit aura tenebris.
Tum gelidas *ſedes*, motiq; cubilia *Glauci*
Mutârunt, tacuere *Canes* tibi *Scylla*, Charibdis
Horruit, & vitreis trepidarunt *Tritones* antris.
Innumeræ coiere Rates, quibus impete vaſto
Mole vel immenſa Laterum, non ulla tulerunt
Sæcula priſca pares: Non talia Robora *Xerxes*
Vidit, *Erechthæus* cùm debellaret *Athenas*,
Et *Graias* ſperaret opes. Non tanta virorum
Agmina, non Turmas, nec tot Bellantia Monſtra
Intulit *Eoi* glomerata potentia *Pori*
Pellæo Juveni, *Lybiam* Qui cædibus omnem
Straverat, & totum ſub leges miſerat orbem.

Habebãt enim *Batavi* in illa pugna multas puppes *mercatorias* miræ magnitudinis, & Bellicè apparatas.

Nempe velut ſparſo tot *Propugnacula* Ponto
INDIACÆ venere Rates, credáſq; revulſas
Cycladas, aut *Rupes* concurrere *Rupibus* ipſas:
Tantæ molis erant: dubitéſq; an *Caucaſus* ingens
Erret, an æquoreis natet *Apenninus* in undis?
An turbare *Polum*, rurſúſq; invadere Solem
Audeat innumeris *Briareia* Turba lacertis?
Non tamen his viſis animum deſponderat *Anglus*,
Sed magis erigitur; ſpem *majorémve* tumeſcens,
A præda *majore* capit. Tam nobilis ira
Anglo inerat fęlixq; ſuæ Fiducia *Cauſæ*.
Et jam Tela volant, atque atris obſita nimbis,
Pyroboli, ignivomas ſpirant per tranſtra, *medullas*,
Quę ſcapulas, quę crura ferant, jamq; horrida ſurgũt
Robora, & alternæ ſurgunt in prælia Naves
Ancipiti, dubióq; metu: nunc æqua *Britannis*,
Mox *Belgis* Bellona ſtetit, vicibúſq; reverſa eſt.
At poſtquam dociles,* habiléſq; capeſcere Pugnam
Anglorum Claſſes, immenſa mole *Coloſſos*
Aggreſſæ; tum nulla mali, tum nulla furoris
Dira aberat ſpecies. Validos *Mars* prodigus *Anglos*
Incendit, veteréſq; dabat pugnantibus iras

*Anglicè *Briggots.*

Libertatis

Libertatis Amor, *Batavæq;* ſuperbia Terræ.
Puppibus occurrunt Puppes, & vindice ferro
Sanguineæ rubuere manus; Gens *Nautica* Lethi
Prodiga, diſtrictis odium Mucronibus explet,
Et cędes prędert ſpoliis; jugulóſq; cadentum
Pro mercede petit. Fuſum ſitit unda cruorem
Sęva, nec admittit ſiccum vagina Metallum.
Jamq; propinquabant Claſſes, lateriq; cohęſit
Tum latus omne ferox; Tormentorúmq; furores
Enſis agit: ſtat quiſque ſuæ de Robore Navis
Pronus in adverſos; confligunt corpora cędim,
Immiſcent manibúſq; manus, atque enſibus enſes.
Non aliter quàm *Peliaco* ſub Monte *Bimembres*
Centauri, ſi quando in mutua viſcera ſurgunt;
Hylæus ſcopulos, & vulſas *Hippaſon* ornos
Vibrat, *Abáſq;* rotat prędrandi Robore turres:
Tauromitanis contra Polyphemus ab antris
Accedens vaſta diverberat ędhera mole,
Sędior his Antæus, *Lapithúmq;* immanior alter
Aſſurgunt in Bella feri; nemus omne tremeſcit,
Biſtoniæ Rupéſq; boant, mota *Othrys* & *Oſſe*;
Et circumfractis Montes fremuere repaglis.

Im-

Immiſcent manibúſq; manus, atque enſibus enſes
Vicinâ virtute truces : multíque perempti
In tranſtris cecidere ſuis ; cruor altus ubique
Spumat, & obducti concreto ſanguine fluctus :
Et quas * *Harpagonum* traxerunt Ferrea vincla,
Has prohibent jungi, conferta *Cadavera*, Puppes.
Semianimes alii vaſtùm ſubiere *Profundum*,
Hauſerúntq; ſuo permixtum ſanguine, Pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes
Fractarum *Ratium* ſubità periere ruinâ.
Irrita tela ſuas peragunt in gurgite cædes,
Et quocunque cadit fruſtrato pondere ferrum,
Exceptum mediis infligit *vulnus* in undis.
Dic mihi *Calliope*, nec enim tot poſſumus arma
Dicere, non rapidos *Tormentorúmq*; labores
Te ſine ; dic quantas ſtrages, quot *Funera* paſſim
Hauſerat illa *Dies*, & ad imas truſerat umbras ?
Noſcat Poſteritas, narrétq; nepotibus, Illa
Pugna fuit, quantum *Batavis* inimica carinis !
Et quantum fuerit *Britticis* feſtiva Triumphis !
Quæq; cruentati fuerant *ſpectacula* Fati !
Hic *oculis* ſpoliatur inops : hac ſorte beatus

* Angl. *Grapling irons.*

Non

Non tantum *vidiſſe* malum; ſed ſævius alter
Terga ſimul rapido, transfixáq; *Pectora*, Ferro,
Viſcera, per *geminas*, fudit *vitalia*, *Portas*,
Et ſtetit incertus flueret, *quo vulnere*, ſanguis.
Illius à truncò *manus* eſt abſciſſa lacerto,
Et quantum ſera *Fata* ſinunt certamina *lævâ*
Inſtaurans, tandem moribundos colligit artus,
Rapturúſq; ſuam deſcendit in æquora *dextram*.
Strage virum ſtat multa Ratis, multóq; cruore
Ad ſummos cumulata foros, & ſtrage cadentum
Quas demum ruptis *Pelagus* compagibus haurit,
Vicinum involvens, contorto murmure, Pontum.
Dicite vos *Nymphæ*, vaſti quæ plana *Profundi*
Indigenæ colitis, quæ fata horrentia *Nautis*?
Quæ *Ratibus* damnoſa lues? cùm ſævior Ignis
Fomite *ſulphureo* mixtóq; *Bitumine* vivax,
Tum pice, tum liquidis rapiens incendia ceris,
Tanta per attonitum ſpargebat *funera* Pontum.
Hic recipit *fluctus*, extinguat ut æquore, *flammas*;
Hi ne *mergantur*, tabulis *ardentibus* hærent,
Et tandem *gemini* ſubeunt diſcrimina *Fati*.
Pars tentabat inops, perituram invadere *Pinum*,

Semi-

Seminicem & ſervare *animam*; Pars *naufraga* tantum
Merſuris extabat Aquis; totidémq; videntur
Quot fuerant *fluctus*, ruere, latq; irrumpere *mortes*.
Hìc Clavi, Tranſennæ illic, mutiliſq; Phaſeli
Eppidromis per ſalſa natant: hic tranſtra, foríque,
Diſrupti Funéſq; jacent: Retinacula quęrit
Anchora, & excuſſo jactatur *Suppara* malo.
Jamq; *rubeſcebat* radiis Mare *veſpertinis*,
Nóxq; repente aderat Pelago nigrantibus alis.
Et felix *Nox illa* fuit; nam ſi modo *Titan*
Tunc non à trepido ſe ſubduxiſſet Olympo,
Extinctas totas Claſſes, laceráſq; Carinas
Vidiſſet cœleſte Jubar. Sed *RECTOR* Olympi
Pręſentem intendens tenebris abrumpere Pugnam,
In nova paſſuros ſervavit Fata *Batavos*.
Ceſſavere Duces: *Batavæ* pars maxima Claſſis
Terga dedit, pars merſa mari, pars altera capta eſt;
Et quæ tunc non capta fuit, proh funera! flammis
Uſta, *Tridentifero* ceu victima facta, *Tyranno*.
Undique ſic *Hoſtes* fatis diſcordibus urgent
Ignis, & *Unda* minax, & quos ſervaverat *Ignis*
Tempeſtas violenta tulit. Nam Tergora Duno

Cum

Cùm fugitiva dabant, *Palantibus* æquore toto
Æolus inſurgens, & rupto è carcere venti
Terribiles fudere *minas:* Tum *Cærula* paſſim
Vociferis fremuere vadis; tum quaſſa Carinis
Tranſtra, repercuſſo & convulſa Appluſtria velo,
Fractáq; conigeri ceciderunt pondera Mali.
Inde labant *Cunei*; Tabulis ſęvúmq; revulſis,
Rima patet, reſerátq; viam *dominantibus* undis.
Utque *gemiſcentes* fundunt *ſuſpiria* venti,
Sic cœlum *illachrymat*; fato & graviore procellas
Imbribus agglomerat, laxatis nempe *feneſtris*
In *Pontum* credas totum deſcendere *Cœlum*,
In *Cœlúmq;* putes tumefactum aſcendere *Pontum.*
Quid referam merſas Claſſes, Syrtéſq; repletas
Stragibus, & cęco cumulatas gurgite cedes?
Attonitis ſtetit Unda vadis; *Thetis* ipſa ruebat
Humano temulenta mero: tunc agmine longo
Convenere vagi, *Prædatrix* Turba *Profundi:*
Sanguine tunc ſaturi *Piſces*, per ſalſa choręas
Duxere, atque avidæ rapuere cadavera *Phocæ.*
Proh Fati, Rerúmq; vices! proh noxia Cœli
Sydera, & adverſis ſemper contraria *Belgis!*

Illa *Cohors* noſtris minitans incendia Portis,
Quęq; truci *famulos* Cervice repoſcerat *Anglos*,
Supplex ante pedes jam tanti neſcia faſtus
Sternitur, & poſitis Pacem complectitur armis.
Irrita ſpes cecidit. Túq; ô DEUS Optime! lege
Torſiſti meliore Rotam: Premis *IPSE* ruentes
In nova fata *Duces*: Immenſas dividis *Alnos*,
Diviſáſq; fugas. Tibi quæ, DEUS Alme! feremus
Thura, Precéſq;? Tibi quæ Serta ingentia laudum?
Cujus magna manus, Cujus de ſydere celſo
Servatrix noſtris toties *Clementia* Terris
Luxit, ſucceſſúſq; novos, ſucceſſibus auxit.
Magnanimæ Cujus divina potentia dextræ,
Tanta per attonitas egit miracula Gentes.
Quæ memor æternis, fęlix feret *Anglia*, ſeclis!
Anglia, quæ tantos *Terrarum* experta triumphos,
Quęq; *ſalo* fuſos toties teſtabitur hoſtes:
Dum poſitas Pelagi *metas*, & menſa Profundi
Jugera, *Batavicis* toties ſulcata Carinis,
Aſſerit, & mediis, cauſam diſcriminat, undis.
Auſpiciis ſic eia bonis, Respublica, magni
Cura Poli graderis, tot *Terrarúmq;* Trophęis,

Ad-

Adjicis immenſi ſpatioſa volumina *Ponti*;
Marmore ut undarum tantos legat Advena caſus,
Lectáq; tot *Britticæ* ſtupeat *magnalia* Terræ.
Interea vos, ô noſtri * *Capita* alta Profundi,
Surgite NEPTUNI, meritúmq; rotate *Tridentem!*
BLAKE potens MONACHE & (fatalia nomina *Belgis*)
Creſcite * *Ledæi* Fratres! Duo *Fulmina* Terræ!
Scipiadæ Briticíq; Maris! *Vos* Carbaſa paſsim
Pandite, & in medio *dominantia* ſiſtite, mundo.
Veſtra *Semiramiæ* timeant Inſignia Turres;
Cùmq; leget validos, terrâ pelagóq; *Britannos*,
Ipſe MAHOMETES ſpatioſas contrahat oras,
Et terrore novo, Capitis diſtorta *Tiara*
Decidat, & trepidæ *caligent* Cornua *Lunæ!*
A *Ducibus* tantis, tantos ſperare triumphos
Fas fuerit, modo ſi *Cætus* venerabilis Ille
Comprobet, & tanti laudet molimina cępti:
Cùmq; OLIVARE Pater, ratibus cingentibus orbem,
Conſiliis aderis, validoſq; afflaveris auſus.

Magne OLIVARE Pater! *cujus* ſuſpenſior *Anglus*
Pendet ab ore, novos mox quęſiturus honores.
Vivere ſub tali gauderet Principe, *Brutus*;
Brutus grande decus, Libertatíſq; repertor

* *Blakium* & *Monachum* Thalaſſiarchæ ſelicíſſimi.

* *Caſtor* & *Pollux*, cujus erat à deprædatoribus & pyratis Oceanum aſſerere.

Concilium Status.

Auſoniæ, qui Jura ſuis *faſcéſque* reduxit.
Temperiem laudare *tuam*, moréſq; modeſtòs
Fabricius cuperet, placidęq; accumbere *Menſæ*.
Ipſe ubi divinis condis tua fercula dictis,
Et *ſacros* facis *ore* cibos; ubi *ſobria* quiſque
Adſperſis ſalibus, nulla formidine, miſcet.
Ebrietas ubi non, *Gula* vel circumflua luxu
Fędatam, norunt vitiis temerare, *ſalutem*.
Non ibi deformis *Lucretia* damna rapinæ
Lugebit, caſtæ nec ſolvet vincula *zonæ*
Virgo Pudicitiæ compos; *Te vindice* ſervat
Jura *Thorus* Thalamúſq; *fidem*: non fędus Adulter;
Non Crapulator iners; Juratoréſve profani,
Candida pollutis intrabunt limina plantis.
Sub ditione Domus, *Curiorum* caſtior ordo
Iret, & intonſi *Romæ* decora alta *Catones*
Promptius à tanto caperent documenta *Magiſtro*.
Explicuit *cujus* cunctos ſapientia Pernix
Eventus, Rerúmq; vices: Juvenilibus annis,
Scilicet ad magnum Patrio de more *Senatum*
Accitus, *Trabeatus* ades; tot ſacra loquentem
Primores ſtupuere Patres, ſtupuere *Solones*:

Dom. Protector ad Parliamentum Angliæ à juventute accitus & cooptatus.

At

At *medicam* poſtquam pia poſceret *Anglia* dextram,
Cumque *Superſtitio* cęcis Ambagibus aures
Implicuit, furvis *Anglóſq;* umbraverat alis:
Exuta mox inde *Togâ*, Trabeíſq; verendis
Arma capis, Patriâ pro *Relligione* tuendâ,
Fulmineúmq; rotas, ſervandis *Legibus*, enſem.
Hinc nova *Libertas* rapidis peritura favillis,
Tutior illuxit, tantóſq; experta tumultus
Apparans tandem poſitis pacatior armis,
Te PROTECTOREM paſſis complectitur ulnis.
Scribentem ſed Bella vocant, ſtreperiq; repoſcũt
Te litui, ſævæq; Tubæ. Non *Anglia* ferro
Cancellos, metáſq; dabit; *Tu* jugera Ponti
Sulcas, inq; alios ruis implacabilis hoſtes.
Puppibus obruitur Pelagus; trepidavit Ërna
Adventu ſtupefacta Tuo; vexilláq; THULE,
THULE Pictigenæ timuit pars ultima Terræ.
Dicite, *Monticolæ*, quis *vos* tunc perculit horror?
Sub veſtrâ ditione merens, cùm maximus Ille
Judicio pollens & prudentiſſimus Armis,
Fortis * OVERTONUS, vos tot de more ferarum
Speluncis egit piceis. Tum ſanguine fuſo

* Dom. *Rob. Overtonus* Chiliarcha longè veteriſſimus, in hâc expeditione officio *Majoris-generalis* decoratus qui ab illa pugna *Eboracenſi* huc uſque *Brigadullor* extitit, ubique tantâ fide, fortunâ & fortitudine progreſſus, ut volumen potiùs quam curtam marginem geſta poſtulaverint.

Occi-

Occiduæ rubuere *plagæ*, tum mollius ipſis
Indigenis flevit tepido Argathellia Rore.
Nil veſtris Cantire plagis; nil profuit hoſti
Munitis hęſiſſe locis, ſpes irrita Mullæ
Ceſſit, & armiſonis ſcopuli tremuere procellis.
Magnum erat illud opus, cunctis laudabile ſeclis;
Fortius *Alpinum* nec rupit *Pœnus* aceto
Marmor, & æternis canentia ſaxa pruinis,
Auſoniámq; ferus, rapidis tremefecerat armis.
Sed quid ego exiguâ conor comprehendere chartâ
Multiplices actus, tantæq; pericula dextræ?
Quæ dum conor iners, videor tantum addere guttas
Oceano, & rutilo *Lychnum* protendere *Olympo*.
Ergo *Thalia* ſile, Plectriſq; urgere Camęnam
Deſine, & arctato pręconia cingere Circo.
Illuſtres Pugnas, immenſáq; Geſta loquantur
Annales, *Ruſhworthe*, tui: Digniſſime *Ruſhworth!*
Cujus pacato ſtruxerunt Pectore ſedem
Blandus honos, *Candórq*; placēs, & quicquid *honeſti*
Tullius eloquio explicuit, *noſtríſq*; reliquit.
Cujus gnara manus, *mènſq*; obſervantior æqui
Intemerata nitet: *Quem* Rerum longior *uſus*

Et

Et *Ratio* notum meritò fecere *Magiſtrum.*
Ille Tuos Actus operoſa mole recondet,
Qui Vigil *Occiduis* quicquid *memorabile* terris
Sicut *acu* punxit Calamo, *pinxitq;* Tabellis.
Unde, (ut non multis involvam ambagibus aures)
Prælia picta micant, & tot certamina ſurgunt
Ingenii *monumenta* pii; meritúmq; levabunt
FAIRFAXI ſuper aſtra decus, paritérq; OLIVARI
Digna *Corinthiacis* cælari geſta Columnis.
Et nunc *Fama* loquax tantæ Præconia dextræ
Exere, *Romuleis* nihil inferiora Triumphis:
Nempe nec *Auſoniæ*, *Fabio*, nec *Achaica* tantum
Terra *Themiſtocli* debet, non Punica tantum
Hannibali, quantum *Tibi* nos: non Troicus *Hector*
Ille, nec *Æneas*, nec Penelopæus *Ulyſſes*,
Nec *Priamus* tanti, licet hos Fama inclyta Cantu
Mœnio in totum vectos vulgaverit orbem.
Quid referam innumeros actus? Cæſoſq; *Dynaſtas?*
Captivóſq; *Duces?* Quorum ſtant *Nomina* Famæ
Celſa *Theatra* Tuæ. Tellus MARSTONICA & ingens
EBORACUM Tibi ſaxa ſtruet; Præconia NAISBY
Tollet hunorati, ſuperantia Marmora, *Nili.*

Quam-

Quamvis *Pyramidum* vicinam ad ſydera molem
Evehat, attoniti jactans miracula mundi.
Appage *Tydiden* quæ tollunt Carmina, *Vatem*
Quod junctо fidens *Ithaco* patefacta *Dolonis*
Indicio, vinóq; ſimul religatáq; ſomno,
Thracia ſopiti penetraverit agmina *Rhæſi*,
Graiáq; rettulerit captos ad caſtra jugales:
Quorum ſiqua fides (fingentibus omnia, Muſis)
Impetus exceſſit ventos, *Candórq*; pruinas.
Sed ſine *Præſtigiis*, ficti aut velamine *fuci*,
Ecce virum! taciti Qui non ſtratagemate ſomni
Enſe palam ſibi fecit *Iter*, victórq; receſſit,
Et *Diomedæis* tantùm fulgentior auſis,
Quantum lux tenebris, laudandáq; prælia furtis.
Manlius excelſo Capitolî à vertice *Gallos*
Depulit, Exuvias Hoſtíq; ablata *Camillus*
Signa reportavit; *Pænum* duo fulmina Belli
Scipiadæ vicere ferum; Præſtantia *Pyrrhum*
Valeri extinxit: Sed ego quid plura? quid iſtis
Immoror *Exemplis*? Quæ prorſus victa faceſſunt,
Et diſcunt cediſſe, *Tuo*? Sic magnus in Armis,
Sed major Pietate micas, dum numine dextro

Progrederis, toties *pugnans*, totiéſq; *triumphans*.
Tu quoq; non modicas ſuperata *Vigornia* laudes *Vigornia*, angl. *Worceſter*.
Addis OLIVARO; cujus viciſſe videtur
Horribilis laniena fidem; nec credere quenquam
Fas fuerit, niſi qui tantis interfuit auſis.
Poſtera nec tantum cęlabunt ſecla tumultum.
Claſſica, & Armorum ſtrepitus, & murmura raucis
Ingeminata Tubis; convulſáq; *ſulphure* ſaxa
Audivit procul, audivit *Glovernia* tellus,
Totáq; concuſſis tremuit * *Sabrina* lacunis. * *Severn.*
Nec ſecus *Auguſtus* celſa ſub *Leucade* victor,
Agmina dejecit *Pharia* crepitantia *Siſtro*.
Nec tantùm *Fabios* equidem valuiſſe Trecentos
Qui *Patriæ* vallum *ſeſe* fecere, ſuóque
Sanguine clauſerunt aditus Hoſtilibus armis
Crediderim, non Ambuſto, te *Scævola*, trunco.
Cerne *Ducem*: placidæ quæ ſit reverentia fronti!
Quis Decor incani Capitis! quæ Gratia veſtit
Lumina! maturo quid majeſtatis in ore
Fulgeat? extentos humeros, Pectúſq; levatum
Fortius, atque hirſuta toris, porrectáq; cerne
Brachia, nervorum ſolidis compagibus arcta.

Quàm bene ſub *Thorace* ſedent *Mavortia* Corda!
Cùm rutilare *faces*, Conos, adamantáq; ſummo
Vertice, vibrantes late diffundere *flammas*
Adverſæ videre Acies; trepidare videres
Corda manúſq; *virum*, tremulóq; in ſtapede plantas
Stare loco neſcire, *Ducis* Preſentia tanti eſt.
Quæ non *Seditio*? quæ non inſania *Nautæ*,
Te viſo, lenita fuit? teſtabitur * Aulæ
Area finitimæ. *Cætus*, populoſior, illos
Stronda, feret, *Lætiq*; *Crucis* veſtigia ſera.
Obſtreperi coeunt Nautæ: denſantur in unam
Congerie, vaga turba hominũ, tumido ore frementũ
Fundentúmq; minas, formidandóſq; furores.
Ipse Satellitio tenui ſtipatus, anhelas
Bacchantum ſedas rabies, & *Apollinis* inſtar
Diſcutis horrificas tenebras, Pacíſq; ſerenum
Reſtituis, Piceæ per tot glomeramina, turmæ.
Corporis hæc moles, validæq; exercita dextræ
Vis tibi tanta fuit. Sed celſæ pondera mentis,
Quis capit? aut dignis animum conatibus æquet?
Hæc eſt, quæ in Caſus *Te* dudum armaverat omnes;
Nullis læſa minis, nullis temerata procellis

Rariùs

Juxta *Whitehall*, vulgo *Scotland-yard*, & *Charing-croſs*, ſeditioſi Nauræ numeroſiores, ad ipſum *Prætorii* aſpectum confuſim, relictis armis, avolarunt.

Tarpeïans.

Rariùs irato didicit ſuccumbere fato.
Hinc premis *Irarum* fluctus, ſenſúſq; vagantes
In Gyrum *Rationis* agis; ceu fertur habenis
Caſtor *Amyclæis* domitos egiſſe *Jugales.*
Hinc Nutu, geminas *Acies*, Turmáſq; coerces:
Nempe Tuis nunquam *Methodus*, vel ſtrictior ordo
Ceſſavit, cùm ſępe *Ceres*, Annonaq; Caſtris
Defuerant, magis inde Tuæ *Conſtantia* mentis
Luxit, & admoto, crevit *fiducia* damno.
Obſeſſus quibus *Ipſe* malis, hinc *Hoſtibus*, illinc
Imperitante *Fame*, mortémq; minantibus *Armis*,
DUMBARRI feret illa *Dies*; memorabilis illa
Indigenis exoſa *Dies*, teſtabitur ingens
Pectus, & ad ſeros deſcendet Fama *Nepotes.*
Tù *Peditum* Ductor, propero cunctantia motu
Agmina voce trahens, *Antiſtes* Ipſe, labores
Aggrederis, quoſcunque *jubes.* Quæ *Militis* illa
Sors eadem *Tibi* triſtis erat, ſimiléſq; fuerunt
Et *Dux*, & vitæ ſuetus *Veteranus* acerbæ.
O quoties viſus, (paſſim cingentibus armis)
Caſtrenſi recubare *toro?* ſomníq;, cibiq;
Ut pariter *parcus*, ſic vitæ *prodigus*, hoſtes

Reflectit ad miſerrimum conditionem totius Exercitus paulo ante pugnam Dunbarrenſem.

Rumpere per medios, fuſiq; tonitrua Plumbi?
Quid memorem triſtes noctes? cruciatibus ægram
Afflictámq; animam cùm *mors* vicina *ſagittis*
Ingruerat, longo penetrans prȩcordia morbo:
O quot mille viros tunc mors rapuiſſet in uno!
Magnanimus ſi *Dux* fato prȩreptus iniquo
Luctantem mediis Navim liquiſſet in undis.
Votorum ſed Thura DEO ſuffundimus uno,
Et Grates *Goddarde* tibi; digniſſime *Goddard!*
Tu *Coi* ſecreta ſenis, Tu *Centaurȩa*
Gramina, Tu *Succos*, Fomentáq; *Phyſica* noſti:
Galleni Tu ſenſa tenes; quȩcunque leguntur
Montibus in *Cholcis*; quicquid ſuecreverit *Indis*;
Quicquid ab *Aſſyriis* nobis mare miſerit oris.
Ipſe ope *divinâ*, ſuſpiria feſſa trahentem,
Et *mortis* petiturum umbras, vitalibus auris
Reſtituis, pulſóq; adhibes *medicamina* morbo.
Hinc OLIVARE tibi redit in prȩcordia virtus,
Et ſolitus per membra vigor. Patientia crevit
Fortior, Adverſi ridens conamina *Scoti*.
Finitimæ ô quoties ſub iniquo ſydere *Lethæ*
Excipere obſtreperas pluvias, & mixta pruinis

D. *Goddardus*, Doctor in medicis inſtruCtiſſimus, & Præſes Col. Merton. pientiſſimus.

Fri-

Frigora viſus eras? cùm *Pulvinaria* montes
Arcthuri, & rigidæ turgebant *Culcitra* Rupes?
Quanta fuit Ducibus rabies? quæ cura ſequentis
Militis? attonitus quoties veherere per agros
Vulnificóq; *ſeges* ſtaret *Mavortia*, vultu.
Jam juvat aërios turmis aſcendere montes,
Sæpéq; pręruptis nimboſa *cacumina* ſaxis
Scandere, & in celſis *Tentoria* figere clivis.
Vicinis fremuere jugis, tua *culmina*, magne
Penclandi, & totis tremuit *Caledonia* fibris
Cùm procul *Indiginæ* ſpeculis videre *Cadurca*,
Atque novum ſtupuere *Nemus*, nullóq; ſerente,
Jugera *Fraxineos* tot parturientia ſaltus.
Sic greſſus quocunque moves, *Te* fama ſequetur,
Et circumfuſis volitans *victoria* pennis,
Sępe *Domi*, ſempérq; *Foras*, terroribus *Hoſtes*
Implentem, trepidúmq; Tuis *virtutibus*, orbem.
Quis, cùm poſcis *Equũ*, ſimulachráq; martia tentas,
Quis, celeres *ſinuare* gradus? Quis tendere *Contum*
Promptior? aut ſubitos melior flexiſſe *recurſus*,
Cornipedémq; vago, lunare in cornua *gyro*?
Cedite *Iberorum* Domini: vos *Gallica* pubes
Lædęiq;

Angl. *Arthurs ſeat*, mons altiſſimus inter Edinb. & Leaham promimet.

Tentoria enim noſtra in montibus *Penclandi* nundinarum inſtar emicuerunt, non ſine admiratione circumſpectantiũ formidabili

Ledæiq; pares Gemini, cum *Caſtore Pollux*,
Ipſi *Equiti* cedant *Tibi:* Quem, ſi *Pegaſus* ingens
Noviſſet, famulis *Pegaſus* ſuccumberet Alis,
Portarétq; libens, & tantà mole, ſuperbus,
Bellerophontæas, indignaretur, habenas.
Sic fecit Natura *Virum:* PRUDENTIA finxit,
Sed genio meliore DUCEM. Megalopſycus, armis,
Hinc nobis *Polemarchus* ades; cui *Cælica* ſurgunt
Numina, ſucceſſúſq; novos, ſucceſſibus urgent.
Numina, Quæ pulchro ſtruxerunt Pectore *Templum*;
In quo *Doctrinæ* probitas, & neſcia falſi
Relligio, Pietáſq; habitant: ubi magnus *Olympi*
Curſus, & *aſtrorum* leges; ubi ſcrinia mundi
Naturæq; *Arcana* patent; ubi cernitur omnis
Quid *Divina* velit, quid ſuaſerit *Ethnica* virtus.
Quicquid *Socratico* manavit ab ordine; quicquid
Clara *Cleantheæ* docuerunt Atria turbæ:
Quicquid laudavit *Scythicis Anacharſis* in oris;
Quicquid *Legifero*, profecit *Sparta*, *Lycurgo*;
Quicquid *Erechthæis*, Cynicorum turba ſtudebat
Gymnaſiis; Quicquid *dixit*, tacuitq; loquendo
Pythagoras; *Olivare*, tuũ eſt; Qui, abſtruſa latebris,

Eruis

Eruis *Ingenio*, rerum & *penetralia* pandens,
Concipis immenſos, ſpatioſo *Pectore*, mundos.
Tecum *Graia* loqui; Tecum *Romana* vetuſtas,
Et priſci didicere Patres: *Tibi* conſtat abunde
Regna quibus ſurgant, quibus & concuſſa retrorſum
Intereant, labefacta, malis. Tu jurgia *Regum*,
Et *motus* penetrare potes, vicinaq; paſſim
Diſsidia, & caute peregrinis litibus uti.
Nec *Tibi* Juſſa placent, mandataq; dura *Regentum* Hoc ad eminentiſſimum Card. *Richelein* in carmine panegyrico referebatur.
Quæ juſſos *feciſſe* pigent. Qua Regibus itur,
Ire times; Juſsis, *factis Conſtantibus* anteis,
Quoq; vocas, OLIVARE pręis. Nec cuncta *licere*
Quæ poſſent *libuiſſe* putes. Rectore perito
Tutius Imperium credens, quam militis armis,
Pręſidio ferríve Tegi, ſuadentis *Achatæ*
Adjicis, *Æneæ* vires; ſociataq; nectis
Robora, *Conſiliis*, & quâ profuderis *hoſtes*
Dextrâ, conſervas *Cives*. TRITONIA virgo
Non ſecus Illa, *manu*, quâ tot deleverat Urbes,
Quâq; truces Portas, & Propugnacula rupit,
Liventes violas, & flores fertur *eâdem*
Purpureos ſociaſſe *manu*. Sic magne OLIVARE

Quem

Quem non ſummarum latet *experientia* Rerum,
Quem non *Divini*, latuere *Oracula*, Cultus:
Non *Legum* latuere *Libri:* quæ Munia poſcat
Apta *Magiſtratus* ſcis; quid deceátq; *jubere*,
Dedeceátq; *pati*. Sęvę *Ipſe* tyrannidis ultor
Servitium, gyaráſq; doles, applauſibus implens
In Bellum *Decios* pro libertate ruentes.
Horreſcis Regum *maculas*; in ſęcula culpans
Cæſareæ Portenta domus. Tibi vita placebit
Candida *Trajani*, non tam quod *Tigride* victo
Celſa vel edomitis petiit Capitolia *Dacis*,
Sed Patriæ quod mitis erat, poteratq; ſubire
Et *Servi*, Regíſq; vices. Cupidiſſimus *æqui*,
Perfidiam damnas *Metii*; moréſq; ſuperbos
Tarquinii, & tremulo truncata *papavera* collo.
Faſtidis diros, *Gracchos*, rabidóſq; *Cethegos*,
Et veteres querulâ, ſubnixos voce, *Tribunos*.
Magni animi ſpecimen tum demum Ponte ſoluto
Occurrit *Cocles*, *Mutiæq*; incendia dextræ:
Quid *mora* proficiat *Fabius*; quid rebus in *arctis*

Dux

Dúx gerat, oſtendit *Gallorum* clade, *Camillus*.
Geſta aliena legens, vicinis proſpicis *Anglis*,
Perpendénſq; nefas *Marii*, *Scyllæq*; cohortes
Civili, patriam ſcelerantis ſanguine, dextram.
Inde per *Annales* noſtros, Primordia *Regni*
Mundo aperis, *Regéſq*; truces, per *Pectora* Plebis
Effoſſos, *feritate*, viam, tepidíq; *Cruoris*
Cęmento, *Britici*, poſitos fundamina, *Sceptri*.
Ipſe animi *mollis*, ſervili ſorte gravatos
Aſpicis *Angligenos*; & per tot ſęcula iniquas
Cymbrorum Rabies in libera colla *Furentum*. *Dani.*
Mox male diviſi *ſpirantia* viſcera Regni
Ingemis, à ſęvo, toties convulſa, *Sicambro*,
Et *ſeptemgeminis* tandem partita *Tyrannis*. Heptarchia.
Hinc quantum *peregrina* Cohors; *Exotica* quantum
Agmina ſęvibant, memoras; ab origine damnans
Normani Portenta *Nothi*, ſtupratáq; Sceptra, *Guilielmus* ſpurius Normandiæ *Dux*, quem ſpuriè vulgus *Conqueſtorem* vocitat.
Et male fraudatos *Nativo* Jure *Britannos*.
Eboracæ tum dira Domus, *Lancaſtráq*; defles
Stemmata, ſub dubio toties repetita *duello*,
Pallentéſq; *Roſas* fraterno *Rore* rubentes.
Nec *veterũ* ſemper codices, monumentaq; volvis

Ipſe; nec Exemplis *Heſterni* longius ævi
Hæreſcens, *Hodierna* notas. Quid Sceptrifer Ille
Geſſerat HENRICUS; quid *Memorancius* Heros,
Quis *Pleſſi-Richeleius* erat; vel qualis *Adolphus*
Scire Tuum eſt; tantum fibriſq; recondere Regem,
Qui Plumis, *vulſiſq;* potens nudaverat *alis*
Auſtriacas Aquilas; totiéſq; faventibus aſtris
Tinxit *Hyperboreos* hoſtili cęde *Triones*,
Cujus vivit adhuc, vivétq; in ſęcula virtus:
Nec totus *Rex* magnus obit; nempe Ipſe ſuperſtes
Parte Tui meliore manes; cui FILIA, *Pectus*
Induit *Auguſtum*, Majeſtatémq; *Tiaræ*.
FILIA, Cura *Poli*, Terrarum Gloria, Rectrix
Innumeræ *Regina* Plagæ; Cui *Corda* tot uno
Quot *Populi* vittata, Jugo. *Quæ* fortis in *Armis*,
Fortior at meritis, Patrio muniris amore,
Inq; animis *Procerum* Pompa potiore triumphas.
Ante pedes nitet ordo *Ducum*; Soliúmq; *Dynaſtæ*
Indigeno de more adeunt, vicibúſq; refulgent
Stellarum in morem, cùm *Tu* LATONIA Terras
Viſeris, ARCTOUM, *Radiiſq;* afflaveris, orbem.
Hæc veterũ ſimulachra Ducũ, paritérq; recentũ
Sicut

Henricus quartus Galliæ rex. *Memorancius* Dux.

Card. Jo. Armãdus du Pleſſis.

Guſtavus Adolphus, invictiſſimus Succiæ Rex.

CHRISTIANA Sueciæ, Gothorum, Vandalorum, &c. *Regina*, & Bellicoſiſſima *Septentrionum Semiramis*; quæ ex cineribus Auguſtiſſimi Patris *Guſtavi*, in ſuorum ſolamen, & orbis miraculum, maſculina *Phœnix* eluxit.

Sicut in *Aulæis* pictis, nitidíſve *Tapetis*,
Ante oculos, ante ora patent; quæ digeris altis
Senſibus, aggeſtas, conférſq; in publica, Curas.
Non ſecus auricomis *Hyblæa* Examina turmis,
Purpureos *populantur* agros, & Pectore toto
Floribus incumbunt, & quæ prędantur ab hortis
Mella, *domi* referunt, & ſtipant Nectare *cellas*.
Euge! *Gubernaclum* ſimili ſubeunte *Magiſtro*
Obſtreperos nimbos, tempeſtatúmve tumultus,
Aut *caligantes*, nigris ſub nubibus imbres
Formidare nefas; *Te* Clavum, Alnúmq; *regente*
Sulcabit refluos fluctus RESPUBLICA victrix:
Naufragii nec fata feret, licet unda tumeſcat,
Et conjurati coeant in prędia venti.
Quale fretis ſurgens, incuſſis fluctibus ingens
Impavidum dat BASSA latus, quamvíſq; ſonoræ
Vociferentur aquæ, ſpumantes murmure circum;
Illa petita vadis antiqua ſede ſuperba
Conſtat, & immotum ſervat per ſecla Tenorem:
Sic cunctis ſecura manes *Reſpublica* damnis.
Quod ſi longinquis audent excurrere Terris,
Fulmina, Piniferi *Thameſis* diſperſa retrorſum

Baſſa Rupes eminentiſſima eſt Scotiæ juxta *Tantallon*, in æſtuario Fortheſenſi, vulgò *the Frith*

Agmina, fuſa ferent, patriiſq; appellere cogent
Littoribus, noſtrum non turbatura Popellum.
Quippe *Tibi* vaſto circumvallata *Profundo*,
Immotis ſtat *Terra* Jugis; diſpendia *Miles*
Externus, Tibi nulla feret, non *Machina* muros
Eruet, aut celſas ibit *Prædator* in Arces.
Tu nihil *Auſtriacos*, nihil *Heſperióſq* furores,
Diráve *Borbonii* metues molimina Sceptri:
Brutáq; Tu *Latii* ridebis *Fulmina*, quamvis
Ille *Pater* totas *Tricoronifer* induat *Hydras*,
Septijugæq; fremat Decicornis *Bellua* Romæ.
Euge triumphales formoſa *Britannia* Criſtas
Tolle! *Decus* Terræ! *Cereris* Domus! Angele* *Lucis!*
Magni Cura Poli! quâ nil formoſius unâ
Terra fretúmve tulit. Nam quamvis viſeris oras
Nave peregrinas, quâ cingitur *India* Gange;
Tergeminiq; licet *Paſtoris* inhoſpita Tecta,
Vel *Septemgemini* penetraveris oſtia *Nili*;
Suſáq; tu quamvis *Byzantáq*; littora luſtres,
Threiciúmq; ſequaris *Hebrum*, nivibúſq; tumentem
Strymona, Luctantúmq; in pulvere ſigna requiras
Herculis, *Antæíq*; vagus, totúmq; (redire

* Evangelii.

Im-

Immemor) immenſis cingas erroribus orbem:
Omnia concedent, ſuper omnia noſtra placebit
Terra procelloſi dominatrix *Inſula* Ponti.
Regna Tibi longinqua cadent; & poplite flexo
Te Jubar *Europæ* nitidum, *Dominámq;* ſalutent.
Quam mollis facilíſq; *aer*! non aſpera *Bruma*,
Non glacialis *Hyems* vacuæ ſpem lactat inanem
Agricolæ, ſed nec fatis gravioribus uſtos
Æſtus hiulcat agros; æſtivos frigore ſoles
Temperat *aura* recens, & amicis *Imbribus* æther
Humectat ſegetem, fęcundo rore *maritans*.
Adde *Virum* Prolem; Queis mundi longior axis
Non ſimiles tulit, aut tantis æquaverit auſis.
Aſpice ut *afflictæ* profugæ & Pietatis *Aſylum* eſt,
Perfugiumq; Piis. *Urbes*, & amęna Jugorum
Culmina, cum *Sylvis*, & tot cum *Pontibus* amnes
Aſpice, & aprici turgentia *gramina* Campi.
Aſpice, Terrarum tot *Propugnacula*, Ponto
Victricéſq; *Rates*, validóſq; agnoſce *Britannos*.
Fęlix Eia *Solum*! meliori ſurge *Magiſtro*,
Atque Olivari magnos comitare Curules.
Quo Duce, loginqui *ſulcabis* jugera Salſi,

Atque

Atque per extremas ibis venerabile Gentes.
Qua *Septem* vigili radiant Temone *Triones*,
Et *Scythicæ* riguere Plagæ. Tibi *Caucasus* ingens
Decidet, & gelidæ Potor *Tanaiticus*, undæ.
Consiliis tantíq; *Ducis*, dum Cęrula verras,
Te circumfusis pandentem vela Carinis,
Horrebunt *Gemini* spoliatis mercibus *Indi*:
Te Maurus, *Te* tostus *Arabs* venerabitur, exlex
Æthiopúmq; genus natas *Nigredinis* umbras
Exuet, attonitúmq; metu *pallescere* discet.
Tale *Decus*, tandem tumidi sperabimus *Angli*
Auspiciis Olivare Tuis; Olivare futuri
Augurium prægrande *Boni*; Quem cautior orbis
Aspicit, & magnos eventu *suspicit* actus.
Ille novus nostro qui fulserat orbe *Cometes*,
Ad nova *Cæpta* vocans, flammanti *Lampade* Turmas
Dirigit Angligenas, tantósq; *illuminat* Ausus.
Quis scit quanta pares nostræ medicamina Genti?
Quis scit quanta pares infidis funera *Cimbris*?
Quanta pares *Celtis*? quantísq; *Britannica* Nympha
Tollere se subitis meditetur *Gloria* Rebus?
Principe Te rursum nos *Adrastæa* reviset,

Innuit Cometem, qui nuperrime in Horizonte Britannico scintillulavit.

Ju-

Juſtitiæ & ſincera fides, *Pietáſq;* viciſſim,
Et *Pax* alternis miſcebunt *oſcula* labris.
O nimium tali fęlices *Pace* Britannos!
Quos vigil ad placidos adduxit cura ſopores
Principis, & faciem juſſit neſcire malorum.
Tum non ulterius ferali *Buccina* Cantu,
Raucáq; ſecuros turbabunt *Claſſica* ſomnos;
Cum neque *Saxo* potens *Scoti* prędabitur agros,
Nec ſe *Saxonidum* ſatiabit ſanguine *Scotus*.
Ruſticus inde ſenex liras intentus aratro
Ducere, cui fęlix fuit Ignorantia *Belli*
Tibia fortuito quoties male condita *Cippo*
Increpuit Raſtris, hęſitq; in *Caſſide* Vomer,
Pone Boves feſſos ſtimulans, ſpectabit anhelus
Inverſis grandes glebis ſe tollere *Coſtas*,
Triſtia ſanguinei proh ſeri ſigna *Duelli!*
Et ſimul ô dicet, quantum hęc mutantur ab illis
Tempora, Temporibus, cùm nuper triſtis *Erynnis*
Et torto in *Britones* fremuit *Bellona* flagello.
Jam non *Prædator* ſpoliis pingueſcet opimis;
Nec fas finitimis fuerit *diteſcere* damnis.
Non *Equitum* ulterius per noſtra *Novalia* Turmæ

Et

Cędibùs aſpergent Campos, non *Miles* Aratro
Sudantes disjunget *Equos*, per vímq; *Caballos*
Transferet à Raſtris, ad *Ephippia* fulva, Viator.
Prælia non operas rumpent, ſolitóſq; labores:
Nec *ſementinis* cogetur ad Arma, diebus
Ruſticus, aut Gladio *Marræ* diffindere Ferrum.
Aurea, venturam ſignabunt *ſæcula*, Pacem.
Incuſtoditum, tuto tum ſtabit *Ovile*,
Et ſua fęcundæ, repetent *Mulctralia*, Vaccæ:
Purpureus tumidis viteſcet *Pampinus* Arvis
Plenior; & preſſis, ſpumabit *Torcular*, uvis.
Gratior innumeris aſſurget in Horrea culmis
Farta *Ceres*; procul hinc fugere horrentia nuper
Teſqua, nec antiqui meminerunt culta *Rubeti*.
Carduum innuit Scotiæ. Nempe *Caledoniis* coaleſcent finibus Angli,
Antiquis parcéntq; *odiis*, opus hoc OLIVARI
PROTECTORIS erit *geminos* in Fędera *Fratres*
Conſociare, Pedo, & Paſtoris more periti
Paſcere disjunctas, & in *unum* cogere Gentes.
Ergo eia! *unanimes* concordi lege *Britanni*,
Vos PROTECTORIS venerandum attollite Nomen.
Surgant multiplices decorantia *Marmora* Pugnas

Phi-

Phidiacâ cęlata manu. *FAITHORNIUS Ille
Ære Tuos actus, & Geſta ingentia ſignet.
Ut *Tibi*, ceu *HENRICO Regi, (*Luteſia*, quaque
Sequana ſublapſis *Pontem* complectitur undis)
Sublimes *Statuæ* ſurgant; *Tibi* grata *Coloſſum*
Anglia ſupponat; *Te* Saxa, & *Præla* loquantur.
Interea noſtris, decus immortale *Britannis*,
Hoc SUPERI ſervate *Caput*; Te mitia ſtipent
Numina, & Angligenæ pernox *Vigilantia*, Terræ.
Sit ſine lite *Dies*, nec Sudum *Nubila* turbent,
Tempora *pacificos* tribuant *Nocturna* ſopores,
Atq; OLIVARE Tuo *ſuccedant* omnia voto!
Vive *diu*, & *Pylii* tranſcendens *Neſtoris* Annos,
Sis Terris Pelagóq; potens, preciúmq; laboris
Immortale ferens, Terras applauſibus imples.
Ad Tua finitimi veniant *Subſellia* Galli,
Belgáq; Martipotens: ut *Dania* tota tremiſcat,
Atque catenato flens *Elzineura* Profundo
Victorem ſtupeat: noſcátq; remotior *axis*,
Indomitum nihil eſſe *Pio*, Tutúmve *Profanis*.

* D. *Faithorne*, Chalcographus *Anglorum* multis Paraſangis peritiſſimus, Qui ſi nuper invalitudo non obſtitiſſet, Paludati *Protectoris* Effigiem Typis æneis exaraſſet.

* Pont. Næuſ. Pariſiis, ubi in memoriâ *H.* 4. Franciæ, ſtatua catiphracti Regis attollitur.

Votiva pro ſælicitate *Protectoris* apprecatio.

Illuſtriſsimo verè Domino,

DOMINO

Bulſtrodio VVhitloccio,

Magni Sigilli Cuſtodi: Magnificentiſſimi Caſtri *Windeſorienſis*, & Forreſtariarum circumjacentium *Protoconſtabulario*, &c.

Nec non ad *CHRISTINAM* Sereniſſimam, *Sueonum*, *Gotherum*, *Vandalorum*, *Finnoniæ*, &c. Præpotentiſſimam Reginam,

LEGATO:

PROPEMPTICON Valedictorium.

SIccine fęcundam linques BULSTRODE *Creuſam?*
Siccine Tu primæ tot *Pignora* chara Juventæ
Deſtitues? *Briticæ* chariſſima *Corcula* Terræ?
Sic *Deceſſuro*, non fas impellere *Ventos*,
Quos Populi ſupplebit amor; *Suſpiria*, vela

Implebunt, *lachrymæq;* fretũ : *quibus* ipſa tumeſcãt
Carbaſa, & *acceſſis* ſtagnet *Tethys* auctior *undis.*
Túq; Maris domitor *Neptune* Tridentifer, iras
Sterne procelloſas, *Puppímq;* faventibus Euris
Mollis, ad optatos *Suecorum* dirige, Portus.
O quam Te memorem ! *Cuſtos* ter digne *Sigilli !*
Quem ceu *Phænicem* Britonum mox fida carinis
Excipiet Phœnix, avulſum ſedibus, eheu !
Nativis, *Patriæ* & linquentem *Prædia*, terræ.
Carbaſa jamq; notis pandens, *& cærula* verrens,
Protinus immanes, prægrandi corpore, *Phocæ*,
Balænæq; truces veluti *Portenta* tot undis,
Ante oculos, ante ora natant : *Pinnata* Profundi
Cęruleis ſtat *Turba* vadis, quas Senſibus imis
Hauris, & immenſi volvis *miracula* Ponti.
Hinc *Duce* Judicio, *Naturæ* arcana recludis,
Oceani cauſáſq; aperis : Quâ, *Luna* gubernet
Æquoreas, ratione, vices ; Quo *Numine*, in Arcton
Dirigat errantes moles *Magnetica* Naves :
Cur refluis *Neptunus* aquis ſubſidet, & alta
Jugera diſtendat, lapſóſq; reciprocet æſtus.
Inde Polum, ſurſum,& rutilantes fornice flammas
Aſpicis

Phœnix Ratis ad Dominum Legatum ſuoſque tranſportandos deſignata.

Aſpicis attonitus, Pictiq; *volumina* Cœli,
Ordine *queis* pulchro, Doctæ, *Magnalia*, Stellæ
Vaſta *Creatoris*, brevibus *ſcripſere* figuris.
Hęc animo meditata *Tuo*, Celeberrime *Whitlock!*
Occurrent, gelidi ſulcanti cęrula Ponti.
Aſt ubi firmatam fundaverit Anchora *Puppim*,
Et certus *Telluris* eris, tunc Agmine longo
Gratantes cernes Populos; * *Mavortis* Alumni
Occurrentq; *Tibi*; cum *Suecos*, *Gothus*, & aſper
Vandalus, attonitæ fatalia Nomina *Romæ*.
Tum *Populi*, & Terræ *genium*, longo ordine diſce
Quot *Pecudes*, peperitq; *Capros*! quã *Lactis* abun-
Quęq; *Metalliferæ*, ſuffundunt Æra, *Fodinæ!* (dans!
Jamq; per anfractus longos, ſalebráſq; viarum
Eminus aſpicies *Satraparum* Marmora lecta,
Magnificáſq; *Domus*, & *Prodiga* Flumina paſſim
Debita ceu Domino ſolventia *Fœnora* Ponto.
Victrices mox inde *Rates*, ſaltúſq; ſuperbos,
Celſaq; finitimis Fatalia Robora *Cimbris*,
Et procul invictæ cernes *Munimina* Terræ.
Aſt ubi vicinos, Upsalia ſurget ocellis,
Tum *Sueonum* Gothíq; trucis venerabile *Sydus*

* *Suecia* commendatio ab Incolarum fortitudine, & Terrarum commoditatibus.

A-

Acceſſu propiore coles, atque Agmine pulchro
Auguſtam intrabis Sceptris Regalibus AULAM:
Inter honorandas ubi FORMOSISSIMA *Nimphas*
Celſior erigitur ſeptem TUTELA Trionum;
Ceu faculas inter ſublata eſt *Illa* minores
Stelliferi *Regina* Chori. Celeberrima *Virgo*!
Tu preſentis *amor*, venturi & *gloria* ſecli.
Scilicet ADOLPHI Soboles *Patris* Ipſa patrizas
Fulmina, & ad proprias cogis revireſcere Laurus.
Quod ſi nulla foret tanti *Genitoris* Imago,
Priſcáq; Sceptriferos neſciret *Pagina* Mores;
Tu Regnis *Documenta* dares. *Cynoſura* Popello
Cimmerio Tu ſola fores; *Bellonáq*; ſtares
Magna *Tuis*; per *Quam* longo rubigine, *Pacis*
Squallentíq; ſitu, & putri Marcore *ſeneſcens*,
Inſtar *Iolai* primis renovabitur Annis
Gothus, & admotis juveneſcet *Vandalus* Armis.

Euge! *verecundæ* quæ Gratia *Maſcula* Formæ!
Aurea *Majeſtas* vultus: *Intrinſeca* virtus
Panditur *Ingenio*; Pietáſq; in *Imagine* fulget.
Fare agite *Annales*! TALEM quæ protulit ætas,
Aut *Pacis* ſtudio, *Belli* aut ſublimibus auſis?

Tu

Tu nova magnificis *Sempronia* dotibus audis,
Altera, & *Arctoo* melior ſub ſydere *Sappho*
Doctior & *Pallas*. Regina *Semiramis*, orbis
Grande Decus, cedat, Tibi cedat Dia * *Virago*
Rectrix Angligenæ quondam memorabilis, *Aulæ*.
Sed non una Tuas, *Regina* ampliſſima, laudes
Terra feret; ſpatiis quamvis diſtantibus æqũor
Te videt, & gelido concreti frigore fluctus,
Imperióq; Tuo diſtendat Plauſtra *Boote*:
Quamvis in extremis Tua nota Potentia *Finnis*,
Téq; licet *Dacus*, *Cimbérq*; & *Moſcus* adoret,
Auſtriáq; à validis toties populata *Suëvis*.
Scande triumphales *Trabeas*, atq; indue *Laurus*,
Quas *Pallas*, debétq; Tuis *Bellona* Capillis.
Scande triumphales *Trabeas*, animóq; ſereno
Excipe BULSTRODUM; & magnã da tãgere dextrã.
Excipe BULSTRODUM, (Sexus Clariſſima!) Tecum
Fœderis æternis nexurum *vincula* nodis:
Ut *nos* cum tanto conjuncti in Bella *Popello*,
Utq; Tuus *Populus* nobiſcum in Prælia junctus,
Latius extendat ſupra *Garamantas* & *Indos*
Imperium, clauſi reſerétq; *Cubilia* mundi.

* Ita enim *Gondemarus* Hiſpaniæ Legatus ſolebat *Elizabetham* Angliæ Reginam nominare.

Sic

Sic pia CHRISTINÆ Reginæ Sceptra reſurgent
Conſiliis BULSTRODE tuis: Horroribus Hoſtes
Finitimi ut *Suecis* trepident; & *Dania* fallax
Fœdifragi ſeræ doleat *perjuria* Facti.
Talis ARISTIDES *Græium* veneranda per urbes
Ora tulit, *Patriæq*; operam, curámq; *litavit.*
Tu *Legum* ſublime Caput, WHITLOCCE, Britannis
Pro noſtris ſtas *Evagoras*, tranſcendis *Aratum*
Conſiliis; veſtróq; volet gravis ore *Pericles*
Cecropidum pro Gente *loqui.* Si Carmine *Mores*
Vel *Dotes* recitare velim, mihi vaſta paterent
Æquora, & obruerent merſam *Præconia* mentem:
Non *Helicon* ſatis unus erit; non *Caſtalis* undis
Sufficiet fœcunda ſuis: Quo more *Togarum*
Te *Decus* exponam? vel quæ *Primordia* ſumam?
Prima Tibi occurrit famulatrix Agmine longo
Relligio; *Pietáſq*; ſacrâ circundata Pallâ
Compoſitis ornata Comis, Te laudibus ambit.
Nempe *Britannorum* Tu *Judex*, Jura *Miſellis*
Mollia diſtribuis *Populis*, & Criminis inſons
Virtutis pura veneraris Mente *Tribunal.*
Inde venit Germana *Fides*, quæ ſe omnibus actis

In-

Inſerit, hæc nullo docuit liveſcere *fuco*,
Nunquam *Falſa* loqui, nunquam *Promiſſa* morari,
Vel prębere vagis faciles *Rumoribus* aures.
Servat inoffenſam divina *Modeſtia* vocem.
Temperiem ſervant *Oculi*; non Lumina fervor
Aſperat, aut tumidas diffundit ſanguine venas:
Nullâq; vęſanæ *Tempeſtas* ingruit iræ.
Cedite *Trajani* faciles; vos cedite *Druſi*
Et lenes in verba *Titi*, manſuetius ipſis
Ore, animóq; micas, placido & *candore* triumphas.
Hinc Te *Pacatum*, Populíſq; Humana ferentem
Jura, *Camænarum* magno *Chorus* Agmine cingit,
Et *Vates* Tua tecta Pii, ceu *Palladis* arces
Ornatas repetunt, doctæ & Delubra *Minervæ*.
Nempe animus Tibi ſemper erat, Largitor *honorũ*,
Magnarum largitor *opum*; Qui, ſemper habendi
Truſit *avaritiam*, & ſtygiis proſcripſerit umbris.
Hinc nova *Pimplæo* gliſcet Reverentia Monti,
Caſtaliæq; fluent Lymphis potioribus undæ,
Et *Bifidæ* meliora dabunt *Oracula* Rupes.
Hæc ego *vaticinor*: cum Te celeberrimus * Ille,
(Cui *Laurus* pariter *Comes*, & pacalis *Oliva*)

Alludit ad *Cant.* & *Oxon.* geminas Angliæ ſorores.
* *Olivarius Cromelus*, Anag. *Laurus Oliva Comes.*

Tollet, & immenſis meritis, nova ſerta reponet.
Interea *Tu* ſpes noſtræ devota *Thaliæ*,
Grande Patrocinium *Muſis*, fęlicibus, *Anglos*
Auſpiciis propera, Patriósq; reviſere Nidos.
Salſa receſſuro faveant *Tibi*; Cępta ſecundet
Æolus, & placidi coeant in *ſuppara* venti.
Ille truces fręnet *Cauros*, *Auſtróſq;* Catenis
Stringat, & *Inſanum* vinclis *Tibi* mancipet *Æquor*.
Ut bene *tranſactis* Rebus, *Neptunia* Regna
Intrepidus ſulcans, conſedas *littore* tandem
Tutus, & *optatas* tangas fęliciter *oras*.
Tu quoque *Chriſticolæ* REGINA ampliſſima Terræ
Mahumetíſq; ſtupor, tandem victricia tolle
Signa per attonitum mundum; ut *Tithonia* vivas
Sęcula, & *Enboici* tranſcendas Pulveris annos,
Nullâq; *Sceptriferas* perrumpant Fata *Tiaras*.

AD

AD

AVGVSTISSIMVM PRINCIPEM

OLIVARUM,

Pientiſsimum *Angliæ, Scotiæ,* & *Hiberniæ*

PROTECTOREM.

QUæ vis ſubegit, Suadáve deviam
Pellexit in mentem! unde volubiles
Senſus retrorſum in Inſtitutum
Jam melius mihi fert voluntas?

Me nempè (Flaccum ceu Cythariſtrium)
Cauſa merentem nuper in *irritâ*
TIBI *hinc* clientem Noſtra clades
Admovet, & Tua *Clara* virtus.

Veſtróque Marti Teſtis amicior
NUMEN, nec actæ fortuitò vices
Rerum, Virorum; ſed Supremi
JUDICIS ad trutinam reductæ:

Momenta Qui dat Rebus, & abripit,
Famámq; mutat & precium viris,
(Biformis Actor) Magna parvis
Subſtituens, Apicéſq; Fundum

Sternens adimum; Authenticus Arbiter
Figens, refigénſq; Omnia calculo,
Et Corda, Fines & viriles,
Funiculo facili, retorquens.

His, IMPERATOR, circumagor rotis,
Ad veſtra tandem Limina, *certior*,
Advectus Hoſpes; quippe Factis
Grandibus, Eloquiiſq; Sanctis

Vitæ tenore allectus & integro
Accedo pronis, Optime, paſſibus
*Tui*que cultor, *Gloriarum*
Atque Tuarum Ego Buccinator.

Dicere ſummis, *Clarus*, & infimis;
Fœnum Potentum, *Parmáq;* Inermium,
Fax Militum *ardens*, Civium Lux
Alma, Choríq; *Epici* Choragus:

Te

Te Militaris, Buccina Claſſici
Poplaris & Te Jubila tympani,
Teſtudines doctæ, Lyræque
Te ſtrepitu ambiguo *ſonabunt.*

Dextro gerentem Prælia NUMINE,
Summæ caventem, Conſiliis, Rei,
Spem *Patriæ*; Stragem *malignis*
Hoſtibus, Opprobriúmq; *victis.*

Cùm proruit Rem *turbine* Publicam
Fortuna Regis, Patria *TE* ſuum
Senſit *STATOREM*; Tu ſtupendus
Progrederis, ſine clade, victor.

Tu fauſtus Auspex, ſortis amabilem
Siſtis Tenorem; Tu datus Arbiter
Bello hęſitanti es, caſibúſque
Ambiguis *Prius* impedito.

Tu Rebus Omen, Numen & admoves
Diſcriminoſis, Tu prece ſupplici,
Neceſſitates vincis Ipſas
Omnipotentis atrox Satelles.

Te *Scotus* aſper; Gens vaga *Hyberniæ*,
Crepidinoſæ Te juga *Cambriæ*,
Totúſque paſſim *Noſter Orbis*
Robore, Conſilio & valentem

Senſere pridem; ſentiet *Externus*,
Quicunque damnis imminet Anglicis,
Axis, recentes ſeu ciebit,
Seu veteres refovebit iras.

Exſurge Vindex; Ocyus entheæ
Divina mentis exere munera,
Ecclesiæ rixanti *Olivam*
Fer, Statui inſtabili *Columnam*.

Per Te vireſcat marcida Veritas,
Per te fileſcat garrula pravitas,
Terræ hâc Salus, Sydúſq; Cœli
Eſto, DEIq; Hominum & voluptas.

I, clarus Actis, plenus Honoribus
Lętere partis Victor Adoreis,
Nec *Triſtium* Atrores oborti
Lętitiam violent ſerenam.

Refert ad mortem illuſtriſſimi verè Viri, *Hen. Iretoni*, Hiberniæ Domini Vicarii vigilantiſſimi.

Illustre Funus ne niger inquinet
Squalor; dolorem ſiſte ſuperfluum;
Nunc vitæ opimo functus Heros
Curriculo, celebriq; Fato

Virtutis *Integræ*, & *Solidæ* micat
Fulgore Famæ; deſine lugubres
Foviſſe queſtus, nec ſupremum
Proſequitor *Gemitu* Triumphum.

Sat *Ille* Amicis, ſat Patriæ, & Sibi
Vixit; ſerenam Lampada *Poſteræ*
Virtuti & excedens reliquit,
Ipſe *Rudèmq;* (*Satur*) popoſcit.

Mortalium *Extans* in vicibus DEUS
Res, *Ipſe*, Fines promovet in ſtatos:
Tu Numini *Mundana* tradens
Promeritos Tibi carpe fructus.

Encomiis aſſueſce celebribus
Hanc nec (*retortus*) ſperne Panegyrim:
Te *clarius* Vates Latini
Fors alii, aſt ego laudo *primus*.

Favore

Favore (fœlix) quin ope perfruar
(Benigne) veſtro, *Noſter* anhelitu
Favoniorum ſic Tuorum
Vivificâq; levatus Aurâ

Tollet Te ovanti *Spiritus* alite;
Exſtantis Ædem Honoris in arduam
Nomen Sacrandum quod ſuperſtes
Uſque novum & veneretur ævum.

Tu *Magni* adimple inſignia Nominis
CROMELE Geſtis major & audias
Clades Duellûm Publicæq;
Grande Rei columénq; *Sacræ:*

Te prȩmiis ſic uſque recentibus
Remunerabit *Patria* Te Caput
Mavorte prȩgnans, & Minerva
Ilice vinciet atque *Oliva.*

Tollere ſic *Tu* non ſine Civium
Plauſu adfrementium; non ſine Jubilis
Sanctorum opimis Inclytorum
Nec celebrum ſine laude vatum.

Sic *Pindarus* (Dux) ecſtaticis furens
Te Dithyrambis *Archilochus* ſuis,
Redux Iambis, Te *Maronis*
Atque *Epicum* celebrabit *œſtrum.*

ERUDITISSIMI VERE VIRI

DOMINI

Bulſtrodi VVhitlocci,

Magni Angliæ Sigilli Cuſtodis;

Windeſorienſis propugnaculi Magnificentiſſimi & Forreſtariarũ circumjacentiũ

PROTO-CONSTABULARII

ORATIO

Habita *UPSALIÆ*,

Coram *CHRISTINA* auguſtiſimâ *Sueciarum*, *Gothorum*, *Finnonum*, *Vandalorum*, *&c.*

Regina Præpotentiſsima,

Sereniſſima Regina,

ADſum imperio, & authoritate *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ* amandatus, ut eorum nomine *Sereniſſimam Majeſtatem veſtram* ſalutarem. Quod officium multo ante cupidi prętitiſſent, ſi non ſumma Ratio turbatas res in *tribus Nationibus* Domi componendi, nec non cõplura ab exteris curandi neceſſitas mo-

leſtâ ipſiſſimis morâ interpellaſſet. Enimvero licet *Reſpublica Anglicana* in altâ mente reponens, quám barbarè, non ita pridem, contra jus *ac fas* Gentium, *Oratores* ſui publici, aliquibus in locis, tractabantur, vel inde *Legationibus* perparcè uti poſſit. Liquet tamen, quod pro magnifico *veſtri Regiminis* honore habeatur, nullam eſſe ea de re, nec *Dominis* meis, nec eorum Miniſtris, ſub *Tutelâ veſtrâ* ſuſpicionem; quin potius nos ipſi, quotquot huc convenimns, experti multa *humanitatis* officia & erga nos, & *Gentem noſtram*, grato animo agnoſcimus: Id autem jam mihi incumbit negotii, ut cum *Sereniſſimâ Majeſtate veſtrâ* de bono publico communicarem. Quæ res tam ardua tantíq; momenti eſt, ut vel hinc mihi, de totâ *Negotiatione* malè ominarer, niſi *DEI* omnipotentis conſilio, auxilióq; fretus eſſem; qui non rarò ſtupenda opera, mediis quantumvis vulgaribus, concinnat. Hâc ſpe erectus, necnon juſſu *Dominorum* meorum impulſus, (quorum ſumma apud *me Authoritas* eſt) tanto fruor honore, ut coram *Sereniſſima Majeſtate veſtra*, preſens conſiſterem. *Quam* non multiplici verbo-

verborum inanium lenocinio defatigare libet; Tantum aberit à *ſpecie* omni *offuciarum* Oratio mea, quantum erit in verbis *fides*. In Mandatis etenim habeo *Gentili* more, & mihi *ingenito*, ſive fuco, *fide Anglicanâ*, quę nullos fefellit, ſincerè, & candidè omnia tranſigere. Ex flammâ, atq; incendio, ac pœnè ex faucibus *Fati* eripuit, nos toties DEUS *Optimus Maximus*, tot, & tantis noſtrâ causâ, rebus geſtis, ut *oculatus* earum Ipſe teſtis, *miraculorum* inſtar, ferè habeam; certè opulentiſſimæ DEI miſericordiæ, ineffabilîſq; *cœpitùs* in nos benevolentiæ *monumenta* non poſſum non agnoſcere. Quo magis aptum, piúmq; eſt nobis non fallaciâ in *verbis*, non verſutia in *moribus* quantulâcunque, veluti *piacular flagitio* conſcientias noſtras contaminare. Non hujus rei causâ veneram, ut pigmentis *Rhetoricis*, aſcitiiſq; coloribus *Gentem* noſtram depingerere, nec ut alienam, licet inimicam, *carbone* denigrarem. Neq; id operam dabo, ut *Sereniſſimæ Majeſtatis veſtræ* ipſius *Auguſtiſſimas* virtutes in adminiſtrando Regno collaudarem; vel ut *Populum* fortitiſſimum, *Territoria* ampliſſima commemorarem;

morarem; ne non cumulatè cujuſvis *meritum* dicendo ad æquarem; & quod cum his ago, quibus tot ac tanta *beneficia* conceſſerit benigniſſimus *DEUS*, quot ac quanta ut augeat, auctáq; conſervet, mecum una *Reſpublica Anglorum* ex animo comprecatur. Poteram allegare *utriuſq; Nationis* conjunctiſsimos mores, ſermonis *affinitatem*, nec non *utriuſq;* Bellicoſos animos, conciliando *utriſque* arctiore *Amicitiæ* nexu, argumenta non ſcripta, ſed nata: ſed tranſeo ad *illud* nullatenus ſilendum, cujus laudis fructus nos quóq; deguſtavimus, feliciter cenſeo adminiſtratum Regnum ſub *Majeſtatis veſtræ* auſpiciis: Quod ſuggerit tranquilla, & halcyonia *Regiæ* noſtræ *Virginis* ELIZABETHÆ tempora, quibus *quadraginta* annorum ſpatio, nec *Tutelariorem* Populus *Principem*, nec obſervantiorem *Princeps* populum deſiderabat.

Quam *ſortem*, feliciorémque, *Sereniſſimæ Majeſtati veſtræ*, & ſucceſſoribus, pręſtet *DEUS*.

Neq; vero defuiſſet *Eliſabetham* noſtram ſequentibus, ut ut alienigenis, concentus ille, concenſúſq; civium, ſi non ſua ipſorum regnandi impo-

tentia

tentia obſtitiſſet. Rapere moliebantur *Sacroſancta Privilegia* noſtra, Orthodoxam *Religionem*, libertatémque *Legibus* ſancitam; Quarum rerum tuendarum causâ, *Sereniſſimæ Majeſtatis veſtræ* *PATER* beatæ memoriæ, REX GUSTAVUS ADOLPHUS, expeditionem in *Germaniam*, in *Proteſtantium* ſubſidium honorificè ſuſcepit; quam prędicando, in omne ævum ſucceſſu *DEUS* benedixit; nobis *Domi* idem facientibus, non *juſta* tantum cauſa, ſed *neceſſaria* erat. Nec *Numen* quoque defuit; Cognitum, compertumq; eſt nobis ad extorquendum vi & armis, quod fruſtrà alias tentatum eſt, *Religionem Evangelicam* & avitam *Libertatem*; Auxiliares copiæ conſcriptæ, Bellum deinde indictum, *Scotis* primùm, ſed illis obnitentibus, & recuſantibus *Anglis* adverſus eos hâc in re decertare; tempeſtas illa ſic deſęviit: Sed apud *Hibernos* majorem in modum æſtuavit. Quo in loco (quod dictu horrendum) *ducenta millia Hominum* nefario facinore perditiſsimorum virorum mactabantur inopinato, nullâ habitâ ætatis, aut

Sexus

Sexus ratione. Taceo illos innumeros, qui in *Bello* perierunt, nullâ hujus lanienę *causâ* aſsignatâ, quàm quod *Proteſtantes* audiebant: Jactitabant ſicarii *Regalia* in id diplomata: In *Angliâ* bellum hoc inteſtinum internecinúmque *ferro*, atq; *igne*, per omnis ubicunque angulos graſſabatur; non locus, non domus ulla à furore hujus *Decennalis* pluſquàm *civilis* belli, immunis latuit. Adhuc tamen vivimus (*DEO*) ſit honor) vigemúſq;, poſt tot malis *Superſtites*. Immane! quantum *Sanguinis* effuſum erat! Quot *ædificia* vaſtata! *Urbes* direptæ! Veruntamen Peregrinus aliquis ſedulò oberrans terras noſtras rimánſque, vix tantula Belli alicujus *Veſtigia* deprehendat. Tandem miſericors *DEUS* ſummam nobis *Pacem* in *Angliâ*, *Scotiâ*, & *Hiberniâ*, *Inſuliſque* circumjacentibus, & *Vniverſis* noſtræ *Ditionis* terris, indulſit. In omnibus, omnibus provocationibus noſtris ad *exercituum DEVM*, quarum permultas novimus, ſemper noſtras partes agere, *Parlamento* militare, decerneréque beneplacitum eſt. Ac poſt tot *Palmas*

quaſi

quaſi diversâ *virgulâ* conquiſitas, poſt colloquia *octies* expetita, & in caſſum adhibita, viſum eſt tandem benigniſsimi *Numinis* plenipotenti dextrę, bono, commodoq; *Angliæ*, Politiam ejus commutare. Nihilominùs *communis* eadem utilitas, quę antiquis fœderibus, pactíſque, *utráſq;* *Gentes* olim conjunxerat immutata adhuc, integràque permanet, & mutuò præſtare utrámq; utríque officia. Quod eò magis honeſtum, decorúmq; eſt, ut fiat quod nullo hactenùs ævo cognitum eſt adverſis denunciati belli inſignibus nos invicem concertaſſe, quin potius mutuus *utrinque* amòr non *pœnitendis* *Officiis* ſe invicem obligans continuâ *Annalium* ſeriè animadvertitur. Hiſce autem conſideratis rebus, necnon *Chriſtiani* orbis, pręſertímq; *Principum*, ac rerum publicarum *finitimarum* Regionum; quę res *Divini Numinis* providentiâ ſic ſe habent, ut exinde anſa arripi largior poſsit, & *neceſſitas* quędã ſalutaris *utriſq;* *Gentibus* incumbat, ut ſtrictiori ſolito, inter ſe *fœdere* conglutinentur; *quo*, commercia, tranquillitáſque mutua pręſervari, & curari poſsint; habitâ etiam ratione

tione

tione ejus, quod communiter interſit, veræ Religioni *Proteſtantium*: Quod autem, *Sereniſſima Majeſtas veſtra* per Miniſtros ſuos publicos in *Angliam* nuperrimè miſſos promptam ſe iri, ac paratam, teſtificata eſt, modis omnibus honeſtis conſervandi, augendíque antiquam benevolentiam, olim inter haſces *Gentes*, initam. Hiſce, aliiſq; magnis de cauſis, & ut pateret, quam nobis grata fuerint *Sereniſſimæ Majeſtatis veſtræ* poſtulata, viſum eſt *Parlamento* per me offerre *Majeſtati veſtræ* Amicitiam *Reipublicæ Anglicanæ*, & certiorem facere *Majeſtatem veſtram* paratos ſe non tantum benevolentiam, ac fœdera antiqua inter *utraſque Nationes* indiſſolubili *Fide rata* inſtaurare, & *reſancire*; ſed etiam hoc amplius velle, ut arctiore *fœderis* vinculo, *utrinſq;* commodo, gens utráq; inter ſe conjungatur. Hæc, quo facilius fiant, pro ut æquum videbitur, quod in *mandatis* particularius habeo, eâ de re, lubens communicabo.

In

IN AUGUSTALIA

Excellentiſsimi Domini & Principis,

OLIVARII

D. PROTECTORIS Reipub. *Angliæ,*

Scotiæ, & *Hiberniæ, &c.*

Summa cum Magnificentia celebrata

Londini; Auſpiciis Dom. Prętoris Senatus, & totius Civitatis Londinenſis, *Feb.* 8. 1653.

BArbara Cæſareæ ſileant Magnalia Romæ,
Cęſar *adeſt melior, Sidus ut orbe novum.*
Cæſare *major adeſt, quia noluit eſſe: Coronam*
Arripiant alii; Se potuiſſe ſat eſt.
Cæſar *at alter erit, ſi quid præſagia poſſint,*
Cum petet igne tuos, Roma *profana, deos*:
Hinc mihi & omen erit, tua jam capitolia poſſe
Scandere, & hinc Britico *ſubdere colla jugo,*
Quòd ſic tricipites potuit cicurare Tyrannos;
Dein tremit Italici *trina corona* Jovis.

Erige te noſtro, Regina Britannia, *Ponto,*
Auſpice CROMWELLO, *ponito jura mari;*
Cæruleos accerſe deos, & Naiadas *omnes*
In Thameſin, *totus concinat inde chorus.*
Túq; ageſis, Nova Troja, *novos ſimul indue vultus,*
Serta ſirnas tanto Principe digna volo.
Corda hominum quęrit qui tot Diademata ſprevit;
VOS, *& non mediâ pegmata celſa viâ.*
Secum adfert Laurus, ſpoliatáq; ſceptra Tyranni,
Et Libertatis *magna trophæa dedit.*
Nunc primùm Cives eſtis, qui Regibus olim
Servi, ut Concives diſcite fræna pati:
Non audit victor Miles, ſed Faſcibus arma,
Legibus & mutat, ſumit & inde Togam.
Sic quæ nuper erat rudis indigeſtáq; moles,
Quam dixere Chaos, *jam novus orbis erit;*
Protinùs ad primum remeabunt omnia punctum,
Sanctus eritq; Plato *magnus* Apollo *mihi;*
Aurea Saturni referétq; Platonicus Annus
Secula; cum æternis ſolibus Annus *eat!*

M. N.

ANA-

ANAGRAMMA

IN

Nomen, & Epigramma in gentilia

Inſignia celſitudinis Domini

SERENISSIMI

Olivari Cromeli,

Domini Angliæ, Scotiæ, & *Hiberniæ*
PROTECTORIS, &c.

Ana- { *Olivarus Cromelus*, / *Laurus Oliva Comes.* } gramma.

QUam bene CROMELICI coeunt Ancilia Scuti,
Symbola vera *Tubæ*, ſymbola vera *Togæ*.
Bellipotens ſtat fronte *Leo*, cui mitius adſunt
Tres CHEVERONS, magnę *Fulcra* vetuſta *Domus*.
Si lævum ſpectes, ſęvi præludia Martis
Cuſpidis horreſcunt *ſpicula*, Trúxq; *Leo*.
Ordine tunc triplici coiens CHEVERONTE, figurat
Pacis honoratas *Iris* amica vices.
Obſtat at extremi clauſus *Leo* Margine Campi
Unguibus elatus, terribilíſq; Jubis.

Tunc tibi *ſuppoſitæ* ſurgunt in fœdera *Laurus*,
Et Comes implicitis pinguis *Oliva* comis.
Prima triumphatrix *Victricia* tempora *ſertis*
Obruet, *Auguſtas*, altera funder *opes*:
Dum geminę PROTECTOR habes emblemata *Palmæ*
Stáſq; *Togæ* Princeps maximus, atq; *Tubæ*.

Vide Pag. 1. *vel in prælimine Paginarum.*

FINIS.

MISCELLANEA.

I N

NUPTIAS

Viri vere Honoratiſsimi

Georgii Downingi

Campo-exploratoris Generaliſſimi, &c.

Et vere Nobiliſsimæ *Franciſcæ Howardi*,
Filiæ Gulielmi Hovvardi, Equitis aurati, &
ſororis Illuſtriſſimi *Caroli* Hovvardi de
Naworth in Comit: *Cumbriæ*, &c.

FOrmoſa *Uraniæ* ſoboles, huc dirige greſſus
Candidulos, ornéſq; novis veſtigia *Soccis*:
Huc *Satyri*, *Dryadéſq*; leves, huc agmine longo
Naiadũ properent Comites, chorus atq; *Hymenæus*,
Et *Venus* auratis decoret *Sponſalia* Nymphis.
Exultemus adeſt, *nempe expectata voluptas*,
Et longum promiſſa dies. Gratiſſima venit
Illa *Dies* niveo ſemper ſignanda lapillo
Howardi quę læta *Domũ*, & memorabile nomen
Conjunxit Downingę Tuum, coeuntibus aſtriis

Et

Tunc tibi *ſuppoſitæ* ſurgunt in fœdera *Laurus*,
Et Comes implicitis pinguis *Oliva* comis.
Prima triumphatrix *Victricia* tempora *ſertis*
Obruet, *Auguſtas*, altera funder *opes*:
Dum geminę PROTECTOR habes emblemata *Palmæ*
Stáſq; *Togæ* Princeps maximus, atq; *Tubæ*.

Vide Pag. 1. *vel in prælimine Paginarum.*

FINIS.

MISCELLANEA.

I N

NUPTIAS

Viri vere Honoratiſsimi

Georgii Downingi

Campo-exploratoris Generaliſſimi, &c.

Et vere Nobiliſsimæ *Franciſcæ Howardi*,
Filiæ Gulielmi Hovvardi, Equitis aurati, &
ſororis Illuſtriſſimi *Caroli* Hovvardi de
Naworth in Comit: *Cumbriæ*, &c.

FOrmoſa *Uraniæ* ſoboles, huc dirige greſſus
Candidulos, ornéſq; novis veſtigia *Soccis*:
Huc *Satyri*, *Dryadéſq*; leves, huc agmine longo
Naiadũ properent Comites, chorus atq; *Hymenæus*,
Et *Venus* auratis decoret *Sponſalia* Nymphis.
Exultemus adeſt, *nempe expectata voluptas*,
Et longum promiſſa dies. Gratiſſima venit
Illa *Dies* niveo ſemper ſignanda lapillo
Howardi quę læta *Domũ*, & memorabile nomen
Conjunxit Downingę Tuum, coeuntibus aſtris

Et

Gryphen gerit in gentiliis insignibus *Downinguæ*; *Howardus* autem *Leonem*, &c.

Et quę magnanimum ſociat cum Gryphe, Leonem.
Exultemus, adeſt nempe expectata voluptas,
Et longum promiſſa Dies. Succurrite *Nymphæ*
Æoniæ, veſtro placidęq; favete *Clientiː*
Quam bene de vobis meritus! quo dignus honore!
Noſtris enim; quantum a teneris Impendit ab annis
Veſtro, operam, ſtudio! quantum profecerit inter
Colliculos! ſuavéſq; inter *Permeßidos* undas!
Exultemus, adeſt nempe expectata voluptas
Et votis promiſſa Dies. Proferte Miniſtri
Ornamenta Domus; Pictíſq; tapetibus aulas
Sternite, & Hiſtorias veteres appendite circum
Atria, quicquid *Arabs* pretioſi mittit *amomi*,
Quæcúnq; Aſſyriis venerunt Cinnama Terris
Ferte, ſoporiferos rapiántq; *opobalſama* ſenſus.
Exultemus, adeſt longum expectata voluptas
Et votis promiſſa Dies. Pulcherrima certe
Copula, quæ geminum manſura in ſęcula ſtemma
Contrahit, æterniſq; ligat pręcordia nodis.
Nec Fas jam brevibus fuerit perſtringere Chartis
HOWARDI pergrande Decus. *Norfolcia* teſtis
(Quę tantos numeroſa DUCES, validóſq; Dynaſtas
Viderit,

Viderit, Angligenæ, ſublimia fulcra *Tiaræ*)
Prodeat, HOWARDOS auguſto ſtemmate jactans.
Hanc de tot Procerum Regali ſanguine Natam
Franciſcam NAVVORTHA tulit, Qua *Cumbria* Bellax
Sęua *Caledoniis* performidabilis oris
Erigitur, famuliſq; ſedet *Gilſlandia* clivis.
Illa *Tuis* ſedes *Proavis*, ampliſsima ſedes
* Fratris, & Hæredis, Qui tot ſublimibus auxit,
Stemmata *Avi* meritis, titulos virtutibus Implens.
Exultemus adeſt longum expectata voluptas
Et votis optata Dies. Sic fœdere facto
Utráq; Bellipotens ſoboles, & idonea *Marti*.
Quo Tua longinquis viguit vigilantia Terris
Quid referam *Downinge*? quibus vel fortior auſis
Veſtra *Caledoniis* virtus inclaruit oris?
Quid referã *excubias* crebas? quid acumina mentis?
Ingeniiq; apices varias? quid mille labores
Pro Patriæ latos? Charæq; pericula vitę?
Jam Tibi Divinum NUMEN meliore rependit
Sorte vices tantas, & tot per inhoſpita rerum
Æquora, tranquillum, tranquilla ſede locavit.
Exultemus, adeſt longum expectata voluptas,
Et votis promiſſa dies: Jam *Fulmina* ceſſent, Et

Carolus Howardus ex antiquiſſima progeniâ magni Ducis de *Norfolk*, &c. Heros omnigenis virtutũ cordatarum dotibus accumulatiſſimus, &c.

Et *Veneri* cedat *Mavors*. Jam pandite fontes
Naiades & ſponſæ violis prætexite frontem.
Mella ferant Sylvę. Jam *Thameſis* ebrius undet
Mutatis in vina vadis; *vivaria* perque
Dive *Jacobe* Tui; exiguos ſalicúmq; per amnes
Sudent Irrigui ſpirantia Balſama Trunci.
Exultemus adeſt longum expectata voluptas
Et longum promiſſa dies. Celeberrime DOWNING
Geſtorum virtute, magis *felicior* autem
Conjuge *Franciſca:* Cujus ſub Pectore tantæ
Irradiant *dotes*. O quam caſtiſſima Mentis,
Corporis & ſpecies! credas ut ab æthere lapſam
Stare *Pudicitiam*, vel ſacro Thure vocatam
JUNONEM *Innachiis* oculos advertere *Templis*:
Talem rara refert antiquis Pagina ſcriptis,
Nec *Latiæ* cecinere Tubę; nec *Graia* vetuſtas,
Quam, Tu *Wintoniæ* clariſſime *Marchio* Noſtræ,
Inter honorandi clariſſima Nomina ſexus
Inſereres, tanto & decorares ſtemmate Chartas.
Exultemus adeſt longum expectata voluptas,
Et longum promiſſa Dies. In ſæcula longa
O felix tanta *Juvenis* conjuncte *Puella*!

Felix

Fœlix ô tanto *Virgò* conjuncta *Marito.*
Ut cum diſcuſſis cœlo fulgente Tenebris
Oſtentat croceos Conjux *Tythonia* Crines,
Et faciem claro ſpectandam in lumine præbet,
Optatàmq; diu *Lucem* Mortalibus afert,
Sic *virgo* cum læta Domum, patrióſq; *Penates*
Linquit, & in chari thalamos ingreſſa *Mariti* eſt,
Oſtentat decus ipſa ſuę inviolabile formę,
Et Jucunda viri pertentant Gaudia mentem:
Cui *Juvenis* pulchrę medio ſub flore Juventę
It Comes, & chara conjungit vincula *Sponsâ.*
Exultemus adeſt, longum expectata voluptas,
Et votis promiſſa dies. Aſſurgite lætę,
Creſcite fœlices *animæ*, concordibus auſis.
Æternum vobis *Cyprus* bona, *Cyprus* amores
Spiret tranquillos, & mutua vincula nectat;
Vincula quę ſerę maneant ad fata Senectę:
Oſcula mille ſonent; *liveſcant* Brachia nexu,
Labra *ligent* animas, & mutua fœdera firment.
Et tum, cum pleno turgebit ſponſa Marito
Circundet *Lucina* Torum, *Lucina* perenni
Prole domum, *Lucina* genus, per ſæcla *propaget.*

EPITHALAMIVM

In Nuptias invictiſsimi, generoſiſſimíque vere viri

Joannis Reynoldſi,

Commiſſarii-Generalis, &c.

E T

Spectatiſſimę SUSANNÆ MILDMAY,

Henrici Mildmay militis, honoratiſsimi Filiæ

PRÆNOBILIS, &c.

ITe procul ſtrepere lites: Tandémq; faceſſant
Attonitis permixta Tubis horrentia *Martis*
Claſſica, & inſanas ſpirantia Tympana cædes.
Sit Cœlo Terriſq; quies; non Nubila *Sudum*
Perrumpent, Triſtes tempeſtatúmve Tumultus
Hanc fædent ſqualore DIEM, Qua nobilis *Ille*
REINOLDUS, formáq; Potens MILDMAIA proles
Mutua Conjunctis ineunt Sponſalia dextris.
Fundat Humus violas; Florúmq; *Puerpera* Tellus
Te Circumfuſis *Virgo* formoſa caniſtris
Ambiat, & *Capiti* pulchro nova *ſerta* reponat.

Tuq;

Tuq; per *Oggias* Qui Bellum fortiter oras
Geſſiſti Impavide toties; *Cui* Tempora circum
Caſſis, & attoniti fulſerunt vertice Coni;
Mollia jam lituis, *Hymenalia* pręfer anhelis,
Et *Clypeos* poſtpone *Togis*. *Eryeina* furores
Miſce novos, ineáſq; *novum* ſine ſanguine *Bellum*,
Ipſe triumphalis Bello, Meliore triumpho
Depromens gratas rabies, ſine Caſſide & armis
Molliculam miti ſupera certamine *Sponſam*.
Nam mox Tu *Patris* ſplendor, *Matriſq*; venuſtę,
Pulchra Susanna Domu, auſpiciis egreſſa ſecundis
Ibis in amplexus invicti Grata *Mariti*
Qui Robuſta Tuo circundans Brachia Collo
Pulchram exercebit fœcunda *Prole* Juventam.
Nec dubitare Tibi fas eſt Fortiſſime Reinolds,
Illa per Innumeros Caſus, pérq; æquora *Iernæ*
Jactato Tibi, *Portus* erit: Tibi gratior *Illa*,
Carbaſa plena dabit; clavum moderabitur *Illa*
Atq; per obſcurę tranquilla ſilentia Noctis,
Illa aliud monſtrabit Iter, Quod maſcula *Bruto*
Porcia, monſtravítq; ſuo *Cornelia*, Graccho.
Auguriis igitur lætis, atque alite fauſto

Surgite *Concordes*, & amico fœdere nexi,
Ducite Nectareos nocturna per oſcula ſuccos.
Sit fas æquoreos potius perſtringere fluctus,
Vel quot in Immenſo volvuntur littore arenę
Quam placidos numerare *Dies*, vel Gaudia *Noctis*.
Idem *animus* ſit *utriq*; eadem ſit *utriq*; voluntas,
Nec *veſtrum* inter vos, quid ſit diſcordia noſcat
Alteruter; ſervet vos Magni Rector Olympi,
Ampliet & longę fœlicia Tempora vitę.
Tuque Tui ſexus longe clariſſima virgo
Illuſtríſq; *Patris* decus, & ſpectabile ſtemma
Reinoldsi cum Prole *Domum* fœlicibus imple
Auſpiciis, utero ut fortuniſſimus *Hæres*
Prodeat, eximiis Qui *Geſtis* nobile Nomen
Extendat Reinoldse Tuùm, *Matriſq*; decorem
Fronte ferens, geminos ſimulet *virtute* Parentes.

AD

ILLUSTRISSIMUM VERE VIRUM

DOM.

Edoardum VVhalæum

Armig. & totius Exercitus

COMMISS: GENERALEM, &c.

In mortem *Filii* RICHARDI nuper defuncti

Carmen Conſolatorium.

GRande Decus *Patriæ*! Sidus *Pietatis*! & inter
Militiæ Primos conſpiciende Viros!
Qui tantam *fuſo* meruiſti *ſanguine* Famam
Per tot virtutis *vulnera* nota Tuę.
Pone modum *Lachrymis*; nequeunt *ſublata*, referri,
Nec curant querulas, *Fata* ſevera, Preces
Non dilecta perit *ſoboles*, Quę *Mente* ſuperſtes,
Tollitur, & *Genio* nobiliore viget.
Sat vixit, cui vita *pia* eſt; Quo *ſoſpite*, Candor
Vixit, & innocuę *ſimplicitatis*, amor.
Sat vixit, miſero Quem *virtus* abſtulit ævo,
Vexit & ad *ſuperi* celſa *Theatra* POLI:

Undè,

Unde, procul vanę cernens *Indribria* vitę
Deſpicit *Humanas*, Inſtabiléſq, *vices*.
Sub pedibus *Circen* calcans, fœdámq; *Calypſo*,
Tótque *Catenato* Crimina juncta *Choro*.
Ergo PATER lachrymas ſiſtas; nempe Invida *Natum*
Quem Tibi *Terra* negat, celſus *Olympus* habet.
QUI que Tibi charam ſobolem *ſubtraxit*, eodem
More poteſt ſobolem *reſtituiſſe* novam.

FITZPAYNUS FISHER.

Orna-

Ornatiſsimo viro, Domino

Edoardo VVhalæo,

Exercituum Anglicanorum, Scoticorumq;

COMMIS: GENERALI,

In Obitum

RICHARDI

Filii egregiæ Indolis adoleſcentuli.

DUm Tibi lætitiam modulatur Carmine Muſa
Nulla ſit in lachrymis *gemma* reperta Tuis.
Sævior inſultat *Lachyſis* Tibi, Flentis ocellos
Terge, precor ſummi ſit tibi cura Boni.
Non parcit celſis fatum lugubre Dynaſtis;
Obruit at magnos Mors *violenta Duces*.
O *Whalæe* foras; Quem fatum ſæpe petebat,
Nunc in filiolo Mors tibi nota domi eſt.
Ut venti rapiunt flores, cum germinet hortus,
Terraq; primævis ſtat viduata comis.

Filio-

Surgite *Concordes*, & amico fœdere nexi,
Ducite Nectareos nocturna per oſcula ſuccos.
Sit fas æquoreos potius perſtringere fluctus,
Vel quot in Immenſo volvuntur littore arenę
Quam placidos numerare *Dies*, vel Gaudia *Noctis*.
Idem *animus* ſit *utriq*; eadem ſit *utriq*; voluntas,
Nec *veſtrum* inter vos, quid ſit diſcordia noſcat
Alteruter; ſervet vos Magni Rector Olympi,
Ampliet & longę fœlicia Tempora vitę.
Tuque Tui ſexus longe clariſſima virgo
Illuſtríſq; *Patris* decus, & ſpectabile ſtemma
Reinoldsi cum Prole *Domum* fœlicibus imple
Auſpiciis, utero ut fortuniſſimus *Hæres*
Prodeat, eximiis Qui *Geſtis* nobile Nomen
Extendat Reinoldse Tuùm, *Matriſq*; decorem
Fronte ferens, geminos ſimulet *virtute* Parentes.

Ad

A D

ILLUSTRISSIMUM VERE VIRUM

D O M.

Edoardum VVhalæum

Armig. & totius Exercitus

COMMISS: GENERALEM, &c.

In mortem *Filii* RICHARDI nuper defuncti

Carmen Conſolatorium.

GRande Decus *Patriæ*! Sidus *Pietatis*! & inter
Militiæ Primos conſpiciende Viros!
Qui tantam *fuſo* meruiſti *ſanguine* Famam
Per tot virtutis *vulnera* nota Tuę.
Pone modum *Lachrymis*; nequeunt *ſublata*, referri,
Nec curant querulas, *Fata* ſevera, Preces
Non dilecta perit *ſoboles*, Quę *Mente* ſuperſtes,
Tollitur, & *Genio* nobiliore viget.
Sat vixit, cui vita *pia* eſt; Quo *ſoſpite*, Candor
Vixit, & innocuę *ſimplicitatis*, amor.
Sat vixit, miſero Quem *virtus* abſtulit ævo,
Vexit & ad *ſuperi* celſa *Theatra* POLI:

Unde,

Unde, procul vanę cernens *ludribria* vitę
Deſpicit *Humanas*, Inſtabiléſq, *vices*.
Sub pedibus *Circen* calcans, fœdámq; *Calypſo*,
Tótque *Catenato* Crimina juncta *Choro*.
Ergo PATER lachrymas ſiſtas; nempe Invida *Natum*
Quem Tibi *Terra* negat, celſus *Olympus* habet.
QUI que Tibi charam ſobolem *ſubtraxit*, eodem
More poteſt ſobolem *reſtituiſſe* novam.

FITZPAYNUS FISHER.

Orna-

Ornatiſsimo viro, Domino

Edoardo VVhalæo,

Exercituum Anglicanorum, Scoticorumq;

COMMIS: GENERALI,

In Obitum

RICHARDI

Filii egregiæ Indolis adoleſcentuli.

DUm Tibi lætitiam modulatur Carmine Muſa
Nulla ſit in lachrymis *gemma* reperta Tuis.
Sævior inſultat *Lachyſis* Tibi, Flentis ocellos
Terge, precor ſummi ſit tibi cura Boni.
Non parcit celſis fatum lugubre Dynaſtis;
Obruit at magnos Mors *violenta Duces.*
O *Whalæe* foras; Quem fatum ſæpe petebat,
Nunc in filiolo Mors tibi nota domi eſt.
Ut venti rapiunt flores, cum germinet hortus,
Terraq; primævis ſtat viduata comis.

Filio-

Filiolum WHALÆE tuum ſic *Attropus* occat
Fatáq; deliciis invidioſa tuis.
Qui jam ſub pedibus quicquid mortale beatus
Calcat, & ereptum te lachrymare vetat.

JACOB. WOOLREDGIUS.

Orna-

In Deceſſum magnæ Spei juvenem

RICHARDUM

Filium viri vere Clariſſimi

Edoardi VVhaley,

EXERCITUS

COMMIS: GENERALISSIMI.

Effuſa in vitium, ſuperúmq; hominúmq; favori
Et ſibimet quorum, vita ſuperſtes erat,
Deflete *hos miſeros*, horúmq; utriſq; ſolutis
Plurimus in pectus fontibus imber eat.
Flete hos, queis vivis ſeſe vidiſſe *ſepultos*,
Sæva Laceſſiti *Numinis* ira dedit.
Te lugere nefas *Juvenum* Clariſsime, *Patris*,
Muſarum, Patrię, Deliciæq; Dei.
A primis Annis, ardens dum Cera fuiſſet,
Pectore ſculptus erat *Relligionis* Amor.
Sæpe ſuas tinxit, Quam Rara *Modeſtia*! grato
Admiſſo ex alio culpa, rubore, genas.

Forma venuſta aderat, virtus ut corpore ab illo
Proveniens pulchro, pulchrior *ipſa* fuit.
Cunctis, Queis Virtus cordi eſt, *Mel* fiet in *Ore*
Dulce tuum Nomen: Nomen in *Aure* Melos.
Quique *Senem* ſolidum retulit *juvenilibus* annis,
Vere novo vidit *Solſtitiumq;* ſuum.
Nec poterat Cœlis, quem fecit tanta Corona
Virtutum fulgens Sydus, abeſſe diu.

A. P.

For-

Fortiſsimo omnique Militari gloria
ORNATISSIMO

Edoardo VVhalæo,

IN

Filium Fato Præmaturo ereptum:

EPIGRAMMA.

QUem DEUS eripuit vernantis *Flore* Juventę
E Terris, atque in *Congenera* Aſtra tulit;
Deſine jam lachrymis ſectari; Scilicet ille
Primitiis dederat ſumma *Trophæa* ſuis:
Nam *ſubito exuvias* optans deponere fato,
Æternum in ſuperos ſic celeravit iter.

J. D.

In Obitum præmaturum optimæ Spéi
ADOLESCENTULUM
RICHARDUM WHALEY,
Filium Pientiſsimi Fortiſsimiq;
DOM.
EDOARDI WHALEY,
ARMIG:
Nec non totius Exercitus
COMMISS: GENERALISSIMI.

CRudeles *Parcæ*! Quę *Pubeſcentibus* annis
Stamina ſic *vitæ* corripuere *Tuæ*!
Veſpere ſic lapſis areſcunt *Lilia* Culmis,
Quę *mane* auriferas explicuere Comas.
Sic *matutino* rubicunda *Roſaria* pallent,
Sydere ab auſpiciis *Immoritura* ſuis.
Quas *fructus*? & Quas *Sylvas* promiſerat Ille
Surculus, à *ſaltu* VIR GENEROSE Tuo?
Sanguine nempe Tuo ſatus EDOARDE, Parenti
Spes Tibi Proventus *uberioris* erat:
Fulgure ni rapido (fœlicibus invida Cœptis)
Rupiſſet teneros trux *Libitina* Dies.

Ergo

Ergo dum tenerę fuerat ſpes optima vitę,
Virtutum memorem Te decet eſſe *Patrem.*
Nec tibi fas fuerit *Lachrymis* rorare Sepulchrum,
Planctibus aut Magnum ſollicitare *DEUM.*
Cui placuit (Cœlo Maturum) è *Carcere* mundi
Solvere, & *Angelicis* aſſociare *Choris.*

FITZ-PAYNUS FISHERUS.

OP

OPTIMÆ SPEI JUVENI

Immaturè defuncto

Richardo VVhalæo,

Illuſtriſſimi viri *Edoardo Whaley* Filii,

MEM: SACRUM.

IMpube pectus, cui Seneſcentis *Viri*
Natura dotes contulit,
Et cui ſiniſtro ſubſiliebat pectore
Cor *optimo* effictum *Luto*,
Terras relinquis? dulcè *vernantes* genas
Ævíq; *florem* amabilem
Letho reſignans, ecce quo te pertuli.
Nimię *venuſtatis* decor.
Invidia *Parcas* tangit, & *Cœlum* frui
Illuſtribus cupit citò;
Nec *aſtra* magnis facilè parcunt *fœtibus*,
Illos in *aſtra* ſegregant.
Tu, cui datur divina portiuncula
Sublimioris halitûs,
Tantà fruire, tutus, *indulgentiâ*,
Mortalibus *Tumultibus* Ex-

Exemptus, inque *Maximi Patris* ſinu
Firmas *voluptates* cape.
Cognovit *Ille* qualis in terris fores,
Suum redegit in *Sinum*,
Quò ſtat *Beatis* mentibus fluens *quies*,
Inebriánſq; *Æternitas*;
Quò ſtat ſereni *Numinis* præſentia
Largè & perenniter fluens;
Quò *Liliorum* lacteę candent nives,
Ardéntq; flammantes *roſæ*;
Quò regnat hyemis floridum *ver* neſciens,
Nitore geſtiens ſuo:
Illuc redîſti, *Flos* Juventutis tuę,
Patrisq; ſplendidum jubar;
Illuc redîſti, quò, favente *Numine*,
Sors te alta juſtè tranſtulit.
Quid *Ipſe* mœrens funeri impendam tuo
Lachrymas, futuras *vanidas*?
O *liber* omni ab ſæculi *contagio*,
Fulgore *Divino* nitens!

J. Hall, J. C.

In obitum viri verè præcellentiſſimi

RICHARDI DEANE

Fortiſſimi ſimul ac peritiſsimi *Thalaſſiarchæ*

Navali prælio inter

Anglos & Hollandos

Commiſſo 4° Nonas JUNII, 1653.

ingemiſcendâ morte correpti.

CARMEN ELEGIACUM.

SIſte! Quò trajicis viator *Angle*
Rerum novarum cupide?
Non hìc *Pyramis* eſt aut *Mauſolæum*,
Sed tamen *Miraculum*,
Populare tuum, vernaculúmque:
Adſit *Nativus* ſtupor.

Siſte! Quò meas viator *extere*?
Si *virtutem* ſpectes, non poſsis *ultrà* progredi;
His *Meta* eſt,
Hic *Terminus*;
Hic ſunt *Columnæ*
Pluſquam *Herculeæ*.

Siſte & *Tridentifer*! ſunt hę *reliquiæ*
Gemmoſæ nimis, nimis *invidendæ*:
Siſte inquam, & fauces comprime tremendas;
Neſcis *Quot* hoc *uno* voras hiatu.
Non hic *unus* eſt è *multis*, ſed in hoc *uno*, *multi*;
Miles, Præfectus; nauta, Dux; ſenator, Omnia;
Fortis, Invictus; Peritus, prudens; Sagax:
Virtutum ſingularum Complexio
Ænigma ſacrum;
Humani generis *Problema*:
Spes Anglię:
Magna victoriarum mole preſſus jacet,
Non, niſi *Fato*, cedens.

Si *Genus* ſpectes, *Honeſtus*;
Si *Mores*, *Humanus*;
Si *Fidem*, *Intemeratus*;
Si *Facinora*, *Suſpiciendus*;
Si *Vitam*, *Illibatus*;
Si *omnia*, *Spectabilis*;
Aliorum judicio, *nulli* ſecundus;
Suo, Omnibus.

Si *Sacra* conſulas; *Pius*,
Non tamen *vulgaris* Cultor:
Divinior *Heros* umbratiles rerum formas,
Ac vicarias imagines prætergreſſus,
Cultum novit cœleſtiorem:
Cor ipſum, ac *Medullas* amplexus,
Idemque, quod jam petiit, *numen*.

Tormento bellico periit *ingens* vir;
Ingenti telo, non decuit *parvo*:
Lethalis coſtam *lævam* transfixit *Globus*,
Sic tibi *Cordi* eſt,
Mori pro *Patria*.

Horrendus interim crepor occupat
Æthera quaſſatum, dubióſq; fluctus,
Sic *Magni* cadunt *Heroes*,
Cum *fragore* multo.
Dum tremunt, quæ circumſtant, omnia,
Sequaces verita ruinas.

Mors

Mors è Longinquo petiit, nec auſa eſt
Propiús accedere, tantam
Venerata victimam.

Nec *ſemel* moreris, *plurimâ* quidem nece
Lacerata membra ſparguntur paſſim:
Dum *SIC tui* nobis *copiam* facis,
Hu nimis ſiniſter es
Votorum noſtrorum *Arbiter*.

Non impunè tulit
Gens faſtu turgida,
Millenæ *Hoſtium* umbrę
Exequiis parentantur tuis:
Nequit *DE ANI* vel *Sanguis*
Non eſſe *Triumphalis*:

Te *Scoti ſenſerunt vindicem*:
Hiberni, *Flagellum*:
Belgæ, *Malleum*:
Nequicquam *ditioni* refragantes tuę,
Cui paruit Oceanus:

Scilicet

Scilicet *Amphibias* diſpartiſti curas
In geminum terrę maríſq; ſegimen;
Hìc *Admirallus* pervigil,
Illìc *Chiliarcha* prępotens:
(Latior eſt & auguſtior virtus tua,
Qnàm quæ uno poſſit *elemento* comprehendi)
Utrum præſtitit officium
Ave fœliciori,
Ancipiti pendet lance:
Unòque hoc certamine
Dubius evaſit *Victor*.

Qnúm tot ſtupenda viderim
Virtutis Monumenta,
Marmore ſuo
Perenniora,
O quàm nutabunt *Poſteri*
Fide *labòrantes*,
Credere neſcii
Nec inficiavi.

Mira ſunt, quę *nobis* tranſmiſerunt *Patres*
Fortitudinis *Inſignia*, Quę

Quę Nos *Filiis*, *Prodigioſa*:
In uno hoc *Antiſtite*, virtutes
Quas Contraximus *avitas*
Non *ſolvimus* tantùm ſed *fœneramus*.

Quas ſi à *Poſteris* repoſcamus,
Nimis duri *exactores*
Decoquerent citiùs, quàm *numerarent*
Obærata ſæcula.

Sic *luſit Cæſarem*, omnéſq; retrò grandes
Belligeros, nec *Alexander* ampliùs audiet *Magnus*;
Hi *Truncos* hominum, *ſtipitéſq*; ſubjugant,
Hic *mores*, *fidémque*;
Cedite *Miraculo*
Vobis *Majori*.

Omnia ſi perſequar, laſſatum delinqueret ſtudium
Diſce cætera ex prætereuntium *Ocellis*,
Encomiaſten nimis imparem
Juvate *Lachrymæ*.

Flevit JOH: WARRE:

FINIS.

INAUGURATIO

OLIVARIANA,

SIVE PRO

PRÆFECTURA Sereniſſimi PRINCIPIS

ANGLIÆ, SCOTIÆ, & HIBERNIÆ,

D O M.

Protectoris

OLIVARI:

CARMEN VOTIVUM.

——Non ultima Laus eſt
Principibus placuiſſe.——

LONDINI,

Typis NEWCOMBIANIS;

Anno { *Noſtræ* SALUTIS } -M.DC.LIV.
{ *Olivari Protectoris* } -PRIMO.

Agmina, fuſa ferent, patriiſq; appellere cogent
Littoribus, noſtrum non turbatura Popellum.
Quippe *Tibi* vaſto circumvallata *Profundo*,
Immotis ſtat *Terra* Jugis; diſpendia *Miles*
Externus, Tibi nulla feret, non *Machina* muros
Eruet, aut celſas ibit *Prædator* in Arces.
Tu nihil *Auſtriacos*, nihil *Heſperiòſq* furores,
Diráve *Borbonii* metues molimina Sceptri:
Brutáq; Tu *Latii* ridebis *Fulmina*, quamvis
Ille *Pater* totas *Tricoroniſer* induat *Hydras*,
Septijugæq; fremat Decicornis *Bellua* Romæ.
Euge triumphales formoſa *Britannia* Criſtas
Tolle! *Decus* Terræ! *Cereris* Domus! Angele* *Lucis!*
Magni Cura Poli! quâ nil formoſius unâ
Terra fretúmve tulit. Nam quamvis viſeris oras
Nave peregrinas, quâ cingitur *India* Gange;
Tergeminiq; licet *Paſtoris* inhoſpita Tecta,
Vel *Septemgemini* penetraveris oſtia *Nili*;
Suſáq; tu quamvis *Byzantáq*; littora luſtres,
Threiciúmq; ſequaris *Hebrum*, nivibúſq; tumentem
Strymona, Luctantúmq; in pulvere ſigna requiras
Herculis, *Antæíq*; vagus, totúmq; (redire

* Evangelii.

Im-

Immemor) immenſis cingas erroribus orbem:
Omnia concedent, ſuper omnia noſtra placebit
Terra procelloſi dominatrix *Inſula* Ponti.
Regna Tibi longinqua cadent; & poplite flexo
Te Jubar *Europæ* nitidum, *Dominámq*; ſalutent.
Quam mollis facilíſq; *aer*! non aſpera *Bruma*,
Non glacialis *Hyems* vacuæ ſpem lactat inanem
Agricolæ, ſed nec fatis gravioribus uſtos
Æſtus hiulcat agros; æſtivos frigore ſoles
Temperat *aura* recens, & amicis *Imbribus* æther
Humectat ſegetem, fęcundo rore *maritans*.
Adde *Virum* Prolem; Queis mundi longior axis
Non ſimiles tulit, aut tantis æquaverit auſis.
Aſpice ut *afflictæ* profugæ & Pietatis *Aſylum* eſt,
Perfugiumq; Piis. *Urbes*, & amęna Jugorum
Culmina, cum *Sylvis*, & tot cum *Pontibus* amnes
Aſpice, & aprici turgentia *gramina* Campi.
Aſpice, Terrarum tot *Propugnacula*, Ponto
Victricéſq; *Rates*, validóſq; agnoſce *Britannos*.
Fęlix Eia *Solum!* meliori ſurge *Magiſtro*,
Atque Olivari magnos comitare Curules.
Quo Duce, loginqui *ſulcabis* jugera Salſi,

Atque

Atque per extremas ibis venerabile Gentes.
Qua *Septem* vigili radiant Temone *Triones*,
Et *Scythicæ* riguere Plagæ. Tibi *Caucaſus* ingens
Decidet, & gelidæ Potor *Tanaiticus*, undæ.
Conſiliis tantíq; *Ducis*, dum Cęrula verras,
Te circumfuſis pandentem vela Carinis,
Horrebunt *Gemini* ſpoliatis mercibus *Indi*:
Te Maurus, *Te* toſtus *Arabs* venerabitur, exlex
Æthiopúmq; genus natas *Nigredinis* umbras
Exuet, attonitúmq; metu *palleſcere* diſcet.
Tale *Decus*, tandem tumidi ſperabimus *Angli*
Auſpiciis OLIVARE Tuis; OLIVARE futuri
Augurium prægrande *Boni*; Quem cautior orbis
Aſpicit, & magnos eventu *ſuſpicit* actus.
Ille novus noſtro qui fulſerat orbe *Cometes*,
Ad nova *Cæpta* vocans, flammanti *Lampade* Turmas
Dirigit Angligenas, tantóſq; *illuminat* Auſus.
Quis ſcit quanta pares noſtræ medicamina Genti?
Quis ſcit quanta pares inſidis funera *Cimbris*?
Quanta pares *Celtis*? quantíſq; *Britannica* Nympha
Tollere ſe ſubitis meditetur *Gloria* Rebus?
Principe Te rurſum nos *Adraſtæa* reviſet,

Innuit Cometem, qui nuperrime in Horizonte Britannico ſcintillulavit.

Ju-

Juſtitiæ & ſincera fides, *Pietáſq;* viciſſim,
Et *Pax* alternis miſcebunt *oſcula* labris.
O nimium tali fęlices *Pace* Britannos!
Quos vigil ad placidos adduxit cura ſopores
Principis, & faciem juſſit neſcire malorum.
Tum non ulterius ferali *Buccina* Cantu,
Raucáq; ſecuros turbabunt *Claſſica* ſomnos;
Cum neque *Saxo* potens *Scoti* prędabitur agros,
Nec ſe *Saxonidum* ſatiabit ſanguine *Scotus*.
Ruſticus inde ſenex liras intentus aratro
Ducere, cui fęlix fuit Ignorantia *Bellì*
Tibia fortuito quoties male condita *Cippo*
Increpuit Raſtris, hęſitq; in *Caſſide* Vomer,
Pone Boves feſſos ſtimulans, ſpectabit anhelus
Inverſis grandes glebis ſe tollere *Coſtas*,
Triſtia ſanguinei proh ſeri ſigna *Duelli!*
Et ſimul ô dicet, quantum hęc mutantur ab illis
Tempora, Temporibus, cùm nuper triſtis *Erynnis*
Et torto in *Britones* fremuit *Bellona* flagello.
Jam non *Prædator* ſpoliis pingueſcet opimis;
Nec fas finitimis fuerit *diteſcere* damnis.
Non *Equitum* ulterius per noſtra *Novalia* Turmæ

Et

Cędibûs aſpergent Campos, non *Miles* Aratro
Sudantes disjunget *Equos*, per vímq; *Caballos*
Transferet à Raſtris, ad *Ephippia* fulva, Viator.
Prælia non operas rumpent, ſolitóſq; labores:
Nec *ſementinis* cogetur ad Arma, diebus
Ruſticus, aut Gladio *Marræ* diffindere Ferrum.
Aurea, venturam ſignabunt *ſæcula*, Pacem.
Incuſtoditum, tuto tum ſtabit *Ovile*,
Et ſua fęcundæ, repetent *Mulctralia*, Vaccæ:
Purpureus tumidis viteſcet *Pampinus* Arvis
Plenior; & preſſis, ſpumabit *Torcular*, uvis.
Gratior innumeris aſſurget in Horrea culmis
Farta *Ceres*; procul hinc fugere horrentia nuper
Teſqua, nec antiqui meminerunt culta *Rubeti*.
Carduum innuit Scotiæ. Nempe *Caledoniis* coaleſcent finibus Angli,
Antiquis parcéntq; *odiis*, opus hoc OLIVARI
PROTECTORIS erit *geminos* in Fędera *Fratres*
Conſociare, Pedo, & Paſtoris more periti
Paſcere disjunctas, & in *unum* cogere Gentes.
Ergo eia! *unanimes* concordi lege *Britanni*,
Vos PROTECTORIS venerandum attollite Nomen.
Surgant multiplices decorantia *Marmora* Pugnas

Phi-

Phidiacâ cęlata manu. *FAITHORNIUS Ille
Ære Tuos actus, & Geſta ingentia ſignet.
Ut *Tibi*, ceu *HENRICO Regi, (*Luteſia*, quaque
Sequana ſublapſis *Pontem* complectitur undis)
Sublimes *Statuæ* ſurgant; *Tibi* grata *Coloſſum*
Anglia ſupponat; *Te* Saxa, & *Præla* loquantur.
Interea noſtris, decus immortale *Britannis*,
Hoc SUPERI ſervate *Caput*; Te mitia ſtipent
Numina, & Angligenæ pernox *Vigilantia*, Terræ.
Sit ſine lite *Dies*, nec Sudum *Nubila* turbent,
Tempora *pacificos* tribuant *Nocturna* ſopores,
Atq; OLIVARE Tuo *ſuccedant* omnia voto!
Vive *diu*, & *Pylii* tranſcendens *Neſtoris* Annos,
Sis Terris Pelagóq; potens, preciúmq; laboris
Immortale ferens, Terras applauſibus imples.
Ad Tua finitimi veniant *Subſellia* Galli,
Belgáq; Martipotens: ut *Dania* tota tremiſcat,
Atque catenato flens *Elzineura* Profundo
Victorem ſtupeat: noſcátq; remotior *axis*,
Indomitum nihil eſſe *Pio*, Tutúmve *Profanis*.

* D. *Faithorne*, Chalcographus *Anglorum* multis Paraſangis peritiſſimus, Qui ſi nuper invalitudo non obſtitiſſet, Paludati *Protectoris* Effigiem Typis æneis exaráſſet.

* Pont. Næuf. Pariſiis, ubi in memoriâ *H.* 4. Franciæ, ſtatua cataphracti Regis attollitur.

Votiva pro fœlicitate *Protectoris* appretiatio.

Illuſtriſsimo verè Domino,

DOMINO

Bulſtrodio VVhitloccio,

Magni Sigilli Cuſtodi: Magnificentiſſimi Caſtri *Windeſorienſis*, & Forreſtariarum circumjacentium *Protoconſtabulario*, &c.

Nec non ad *CHRISTINAM* Sereniſſimam, *Sueonum*, *Gothorum*, *Vandalorum*, *Finnoniæ*, &c. Præpotentiſſimam Reginam,

LEGATO:

PROPEMPTICON Valedictorium.

SIccine fęcundam linques BULSTRODE *Creuſam?*
Siccine Tu primæ tot *Pignora* chara Juventæ
Deſtitues? *Briticæ* chariſſima *Corcula* Terræ?
Sic *Deceſſuro*, non fas impellere *Ventos*,
Quos Populi ſupplebit amor; *Suſpiria*, vela Im-

Implebunt, *lachrymæq*; fretũ : *quibus* ipſa tumeſcãt
Carbaſa, & *acceſſis* ſtagnet *Tethys* auctior *undis*.
Túq; Maris domitor *Neptune* Tridentifer, iras
Sterne procelloſas, *Puppímq*; faventibus Euris
Mollis, ad optatos *Suecorum* dirige, Portus.
O quam Te memorem ! *Cuſtos* ter digne *Sigilli !*
Quem ceu *Phœnicem* Britonum mox fida carinis
Excipiet Phœnix, avulſum ſedibus, eheu !
Nativis, *Patriæ* & linquentem *Prædia*, terræ.
Carbaſa jamq; notis pandens, *& cærula* verrens,
Protinus immanes, prægrandi corpore, *Phocæ*,
Balænæq; truces veluti *Portenta* tot undis,
Ante oculos, ante ora natant : *Pinnata* Profundi
Cęruleis ſtat *Turba* vadis, quas Senſibus imis
Hauris, & immenſi volvis *miracula* Ponti.
Hinc *Duce* Judicio, *Naturæ* arcana recludis,
Oceani cauſáſq; aperis : Quâ, *Luna* gubernet
Æquoreas, ratione, vices ; Quo *Numine*, in Arcton
Dirigat errantes moles *Magnetica* Naves :
Cur refluis *Neptunus* aquis ſubſidet, & alta
Jugera diſtendat, lapſóſq; reciprocet æſtus.
Inde Polum, ſurſum, & rutilantes fornice flammas

Aſpicis

Phœnix Ratis ad Dominum Legatum ſuoſque tranſportandos deſignata.

Aſpicis attonitus, Pictíq; *volumina* Cœli,
Ordine *queis* pulchro, Doctæ, *Magnalia*, Stellæ
Vaſta *Creatoris*, brevibus *ſcripſere* figuris.
Hęc animo meditata *Tuo*, Celeberrime *Whitlock!*
Occurrent, gelidi ſulcanti cęrula Ponti.
Aſt ubi firmatam fundaverit Anchora *Puppim*,
Et certus *Telluris* eris, tunc Agmine longo
Gratantes cernes Populos; * *Mavortis* Alumni
Occurréntq; *Tibi*; cum *Suecos*, *Gothus*, & aſper
Vandalus, attonitæ fatalia Nomina *Romæ*.
Tum *Populi*, & Terræ *genium*, longo ordine diſce
Quot *Pecudes*, peperítq; *Capros*! quã *Lactis* abun-
Quęq; *Metalliferæ*, ſuffundunt Æra, *Fodinæ!* (dans!
Jamq; per anfractus longos, ſalebráſq; viarum
Eminus aſpicies *Satraparum* Marmora lecta,
Magnificáſq; *Domus*, & *Prodiga* Flumina paſſim
Debita ceu Domino ſolventia *Fœnora* Ponto.
Victrices mox inde *Rates*, ſaltúſq; ſuperbos,
Celſáq; finitimis Fatalia Robora *Cimbris*,
Et procûl invictæ cernes *Munimina* Terræ.
Aſt ubi vicinos, UPSALIA ſurget ocellis,
Tum *Sueonum* Gothíq; trucis venerabile *Sydus*

* *Suecia* commendatio ab Incolarum fortitudine, & Terrarum commoditatibus.

A-

Acceſſu propiore coles, atque Agmine pulchro
Auguſtam intrabis Sceptris Regalibus AULAM:
Inter honorandas ubi FORMOSISSIMA *Nimphas*
Celſior erigitur ſeptem TUTELA Trionum;
Ceu faculas inter ſublata eſt *Illa* minores
Stelliferi *Regina* Chori. Celeberrima *Virgo*!
Tu prẹſentis *amor*, venturi & *gloria* ſecli.
Scilicet ADOLPHI Soboles *Patris* Ipſa patrizas
Fulmina, & ad proprias cogis revireſcere Laurus.
Quod ſi nulla foret tanti *Genitoris* Imago,
Priſcáq; Sceptriferos neſciret *Pagina* Mores;
Tu Regnis *Documenta* dares. *Cynoſura* Popello
Cimmerio Tu ſola fores; *Bellonáq*; ſtares
Magna *Tuis*; per *Quam* longo rubigine, *Pacis*
Squallentíq; ſitu, & putri Marcore *ſeneſcens*,
Inſtar *Iolai* primis renovabitur Annis
Gothus, & admotis juveneſcet *Vandalus* Armis.
Euge! *verecundæ* quæ Gratia *Maſcula* Formæ!
Aurea *Majeſtas* vultus: *Intrinſeca* virtus
Panditur *Ingenio*; Pietáſq; in *Imagine* fulget.
Fare agite *Annales*! TALEM quæ protulit ætas,
Aut *Pacis* ſtudio, *Belli* aut ſublimibus auſis?

Tu nova magnificis *Sempronia* dotibus audis,
Altera, & *Arctoo* melior ſub ſydere *Sappho*
Doctior & *Pallas*. Regina *Semiramis*, orbis
Grande Decus, cedat, Tibi cedat Dia * *Virago*
Rectrix Angligenæ quondam memorabilis, *Aulæ*.
Sed non una Tuas, *Regina* ampliſſima, laudes
Terra feret; ſpatiis quamvis diſtantibus æquor
Te videt, & gelido concreti frigore fluctus,
Imperióq; Tuo diſtendat Plauſtra *Boote*:
Quamvis in extremis Tua nota Potentia *Finnis*,
Téq; licet *Dacus*, *Cimbérq;* & *Moſcus* adoret,
Auſtriáq; à validis toties populata *Suëvis*.
Scande triumphales *Trabeas*, atq; indue *Laurus*,
Quas *Pallas*, debétq; Tuis *Bellona* Capillis:
Scande triumphales *Trabeas*, animóq; ſereno
Excipe BULSTRODUM; & magnã da tãgere dextrã.
Excipe BULSTRODUM, (Sexus Clariſſima!) Tecum
Fœderis æternis nexurum *vincula* nodis:
Ut *nos* cum tanto conjuncti in Bella *Popello*,
Utq; Tuus *Populus* nobiſcum in Prælia junctus,
Latius extendat ſupra *Garamantas* & *Indos*
Imperium, clauſi reſerétq; *Cubilia* mundi.

* Ita enim *Gondemarus* Hiſpaniæ Legatus ſolebat *Elizabetham* Angliæ Reginam nominare.

Sic

Sic pia CHRISTINÆ Reginæ Sceptra reſurgent
Conſiliis BULSTRODE tuis: Horroribus Hoſtes
Finitimi ut *Suecis* trepident; & *Dania* fallax
Fędifragi ſero doleat *perjuria* Facti.
Talis ARISTIDES *Graium* veneranda per urbes
Ora tulit, *Patriæq*; operam, curámq; *litavit.*
Tu *Legum* ſublime Caput, WHITLOCCE, Britannis
Pro noſtris ſtas *Evagoras*, tranſcendis *Aratum*
Conſiliis; veſtróq; volet gravis ore *Pericles*
Cecropidum pro Gente *loqui.* Si Carmine *Mores*
Vel *Dotes* recitare velim, mihi vaſta paterent
Æquora, & obruerent merſam *Præconia* mentem:
Non *Helicon* ſatis unus erit; non *Caſtalis* undis
Sufficiet fęcunda ſuis: Quo more *Togarum*
Te *Decus* exponam? vel quæ *Primordia* ſumam?
Prima Tibi occurrit famulatrix Agmine longo
Relligio; *Pietáſq*; ſacrâ circundata Pallâ
Compoſitis ornata Comis, Te laudibus ambit.
Nempe *Britannorum* Tu *Judex*, Jura *Miſellis*
Mollia diſtribuis *Populis*, & Criminis inſons
Virtutis pura veneraris Mente *Tribunal.*
Inde venit Germana *Fides*, quæ ſe omnibus actis

In-

Inſerit, hæc nullo docuit liveſcere *fuco*,
Nunquam *Falſa* loqui, nunquam *Promiſſa* morari,
Vel prębere vagis faciles *Rumoribus* aures.
Servat inoffenſam divina *Modeſtia* vocem.
Temperiem ſervant *Oculi*; non Lumina fervor
Aſperat, aut tumidas diffundit ſanguine venas:
Nulláq; vęſanæ *Tempeſtas* ingruit iræ.
Cedite *Trajani* faciles; vos cedite *Druſi*
Et lenes in verba *Titi*, manſuetius ipſis
Ore, animóq; micas, placido & *candore* triumphas.
Hinc Te *Pacatum*, Populíſq; Humana ferentem
Jura, *Camænarum* magno *Chorus* Agmine cingit,
Et *Vates* Tua tecta Pii, ceu *Palladis* arces
Ornatas repetunt, doctæ & Delubra *Minervæ*.
Nempe animus Tibi ſemper erat, Largitor *honorũ*,
Magnarum largitor *opum*; Qui, ſemper habendi
Truſit *avaritiam*, & ſtygiis proſcripſerit umbris.
Hinc nova *Pimplæo* gliſcet Reverentia Monti,
Caſtaliæq; fluent Lymphis potioribus undæ,
Et *Bifidæ* meliora dabunt *Oracula* Rupes.
Hæc ego *vaticinor*: cum *Te* celeberrimus * Ille,
(Cui *Laurus* pariter *Comes*, & pacalis *Oliva*)

Alludit ad *Cant.* & *Oxon.* geminas Angliæ ſorores.
* *Olivarus Cromelin*, Anag. *Laurus Oliva Comes.*

Tollet, & immenſis meritis, nova ſerta reponet.
Interea *Tu* ſpes noſtræ devota *Thaliæ*,
Grande Patrocinium *Muſis*, fęlicibus, *Anglos*
Auſpiciis propera, Patriósq; reviſere Nidos.
Salſa receſſuro faveant *Tibi*; Cępta ſecundet
Æolus, & placidi coeant in *ſuppara* venti.
Ille truces fręnet *Cauros*, *Auſtróſq;* Catenis
Stringat, & *Inſanum* vinclis *Tibi* mancipet *Æquor*.
Ut bene *tranſactis* Rebus, *Neptunia* Regna
Intrepidus ſulcans, conſedas *littore* tandem
Tutus, & *optatas* tangas fęliciter *oras*.
Tu quoque *Chriſticolæ* REGINA ampliſſima Terræ
Mahumetíſq; ſtupor, tandem victricia tolle
Signa per attonitum mundum; ut *Tithonia* vivas
Sęcula, & *Enboici* tranſcendas Pulveris annos,
Nulláq; *Sceptriferas* perrumpant Fata *Tiaras*.

AD

AD
AUGUSTISSIMUM PRINCIPEM

OLIVARUM,

Pientiſsimum *Angliæ, Scotiæ,* & *Hiberniæ*

PROTECTOREM.

QUæ vis ſubegit, Suadáve deviam
Pellexit in mentem! unde volubiles
Senſus retrorſum in Inſtitutum
Jam melius mihi fert voluntas?

Me nempè (Flaccum ceu Cythariſtrium)
Cauſa merentem nuper in *irritâ*
TIBI *hinc* clientem Noſtra clades
Admovet, & Tua *Clara* virtus.

Veſtróque Marti Teſtis amicior
NUMEN, nec actæ fortuitò vices
Rerum, Virorum; ſed Supremi
JUDICIS ad trutinam reductæ:

Rerum

Momenta Qui dat Rebus, & abripit,
Famámq; mutat & precium viris,
(Biformis Actor) Magna parvis
Subſtituens, Apicéſq; Fundum

Sternens adimum; Authenticus Arbiter
Figens, refigénſq; Omnia calculo,
Et Corda, Fines & viriles,
Funiculo facili, retorquens.

His, IMPERATOR, circumagor rotis,
Ad veſtra tandem Limina, *certior*,
Advectus Hoſpes; quippe Factis
Grandibus, Eloquiiſq; Sanctis

Vitæ tenore allectus & integro
Accedo pronis, Optime, paſſibus
*Tui*que cultor, *Gloriarum*
Atque Tuarum Ego Buccinator.

Dicere ſummis, *Clarus*, & infimis;
Frœnum Potentum, *Parmáq;* Inermium,
Fax Militum *ardens*, Civium Lux
Alma, Choríq; *Epici* Choragus:

Te

Te Militaris, Buccina Claſſici
Poplaris & Te Jubila tympani,
Teſtudines doctæ, Lyræque
Te ſtrepitu ambiguo *ſonabunt.*

Dextro gerentem Prælia NUMINE,
Summæ caventem, Conſiliis, Rei,
Spem *Patriæ*; Stragem *malignis*
Hoſtibus, Opprobriúmq; *victis.*

Cùm proruit Rem *turbine* Publicam
Fortuna Regis, Patria *TE* ſuum
Senſit *STATOREM*; Tu ſtupendus
Progrederis, ſine clade, victor.

Tu fauſtus Auspex, ſortis amabilem
Siſtis Tenorem; Tu datus Arbiter
Bello hęſitanti es, caſibúſque
Ambiguis *Prius* impedito.

Tu Rebus Omen, Numen & admoves
Diſcriminoſis, Tu prece ſupplici,
Neceſſitates vincis Ipſas
Omnipotentis atrox Satelles.

TE *Scotus* aſper; Gens vaga *Hyberniæ*,
Crepidinoſæ TE juga *Cambriæ*,
Totúſque paſſim *Noſter Orbis*
Robore, Conſilio & valentem

Senſere pridem; ſentiet *Externus*,
Quicunque damnis imminet Anglicis,
Axis, recentes ſeu ciebit,
Seu veteres refovebit iras.

Exſurge Vindex; Ocyus entheæ
Divina mentis exere munera,
ECCLESIÆ rixanti *Olivam*
Fer, STATUI inſtabili *Columnam*.

Per TE vireſcat marcida Veritas,
Per te fileſcat garrula pravitas,
Terræ hâc Salus, Sydúſq; Cœli
Eſto, DEI q; Hominum & voluptas.

I, clarus Actis, plenus Honoribus
Lętere partis VICTOR ADOREIS,
Nec *Triſtium* Atrores oborti
Lętitiam violent ſerenam.

IL-

Refert ad mortem illuſtriſſimi verè Viri, *Hen. Iretoni*, Hiberniæ Domini Vicarii vigilantiſſimi.

ILLUSTRE FUNUS ne niger inquinet
Squalor; dolorem ſiſte ſuperfluum;
Nunc vitæ opimo functus Heros
Curriculo, celebriq; Fato

Virtutis *Integræ*, & *Solidæ* micat
Fulgore Famæ; deſine lugubres
Foviſſe queſtus, nec ſupremum
Proſequitor *Gemitu* Triumphum.

Sat *Ille* Amicis, ſat Patriæ, & Sibi
Vixit; ſerenam Lampada *Poſteræ*
Virtuti & excedens reliquit,
Ipſe *Rudemq;* (*Satur*) popoſcit.

Mortalium *Extans* in vicibus DEUS
Res, *Ipſe*, Fines promovet in ſtatos:
Tu NUMINI *Mundana* tradens
Promeritos Tibi carpe fructus.

Encomiis aſſueſce celebribus
Hanc nec (*retortus*) ſperne Panegyrim:
TE *clarius* Vates Latini
Fors alii, aſt ego laudo *primus*.

Favore

Favore (fœlix) quin ope perfruar
(Benigne) veſtro, *Noſter* anhelitu
Favoniorum ſic Tuorum
Vivificâq; levatus Aurâ

Tollet Te ovanti *Spiritus* alite;
Exſtantis Ædem Honoris in arduam
Nomen Sacrandum quod ſuperſtes
Uſque novum & veneretur ævum.

Tu *Magni* adimple inſignia Nominis
CROMELE Geſtis major & audias
Clades Duellûm Publicæq;
Grande Rei columénq; *Sacræ:*

Te prȩmiis ſic uſque recentibus
Remunerabit *Patria* Te Caput
Mavorte prȩgnans, & Minerva
Ilice vinciet atque *Oliva.*

Tollere ſic *Tu* non ſine Civium
Plauſu adfrementium; non ſine Jubilis
Sanctorum opimis Inclytorum
Nec celebrum ſine laude vatum.

Sic *Pindarus* (Dux) ecſtaticis furens
Te Dithyrambis *Archilochus* ſuis,
Redux Iambis, Te *Maronis*
Atque *Epicum* celebrabit *œſtrum.*